Périon, Joachim

CONCIONES ET ORATIONES EX HISTORICIS LATINIS.

EXCERPTÆ.

ARGUMENTA SINGULIS

præfixa sunt, quæ causam cujusque & summam ex rei gestæ occasione explicant.

Opus recognitum resensitumque in usum Scholarum Hollandiæ & West-Friſiæ.

Ex decreto Illustriss. D. D. Ordinum ejusdem Provinciæ.

OXONII,

Sumptibus *W. Hall*, venales prostant, Apud *Fran. Oxlad.* 1663.

872
P41c
1662

HUGHES

AD LECTOREM.

QVas pridem ex Latinis historicis excerpserant Orationes, Ioachimus Perionius & Henricus Stephanus iterum tibi damus, Lector, sed recognitas recensitasque. Quasdam enim addidimus, quæ ante perperam omissæ erant; quasdam vero expunximus etiam, ne quid hic extaret, nisi quod præstantissimum luculentissimumque foret. Enimvero Sallustii, Liviique, & Taciti ac Curtii Orationes in honorem historiarum leguntur. Adeo multum & civilis prudentiæ & facundiæ continent. Quæ autem apud Capitolinum, Lampridiumque & cæteros id genus scriptores occurrunt, ea & sequioris ævi sunt, & fere genium non habent. Quare illas omittere satius fuit. Quin & ipsius Livii quasdam expunximus, quæ in postremis libris erant, in quibus ita friget jacetque ille autor & penitus sibi dissimilis est, ut nihil minus quam Livium agnoscas. Quanta ex hoc opere utilitas ad eos redundare possit, qui Reipublicæ regendæ scientiam conjungere cum succincta quadam & efficaci vi dicendi cupiunt, ostendet doctissimi viri Iobi Veratii dissertatio, quam subiunximus. Vale.

A 2 JO.

737254

JOBUS VERATIUS
Studioso Lectori S.

MIrificè me, studiose lector, Homericus ille versiculus delectat, Μύθων μὲν ῥητῆρ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων: credo item omnes, qui quæ vis subsit iis verbis, perpendunt. Dicendi enim facultatem cum agendi solertia conjungit, & utroque viros amplissimos instruit: quod nec industria sola, ea maximè quæ in publicis rebus gerendis versatur, dicendi usu spoliata, satis munus suum tueri possit; Facundia vero quæ sese à rerum administratione removerit, importuna loquacitas judicetur. Licet enim præstet stultitiæ loquaci elinguis prudentia, tamen prudentia dicendi imperita, magno ornamento vel subsidio potius est destituta. Has dotes gravissimi autores, & qui historias scripserunt, in hominibus clarissimis expresserunt, & qui fictarum narrationem involucris viros ab omni laude perfectos informarunt, illis ipsis affinxerunt. Hoc enim volunt illæ Periclis & Nicia in re vera conciones, hoc Cyri Xenophontiei in ficta. Iidem illi qui præter cæteros breviloquentes sunt habiti, & qui eloquentiam satis fastidiose contempserunt Lacedæmonii, tamen ne hac quidem laude carere voluerunt, quod quanto esset ad res magnas gerendas adjumento, intelligebant. Ergo Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἔπεὶ οὐ πολύμυθος Menelaus. Paulo uberior Thucydeus Archidamus, aliique ejusdem civitatis: ut qua in urbe humaniores literæ propè jacebant, in ea tamen suum eloquentiæ esse habitum honorem constet. Ita Poëta, quum summum virum & regendæ multitudinis peritissimum describeret, utriusque rei laudem ei attribuit, rerum gestarum gloriam, & dicendi peritiam; tum pietate gravem & meritis, &c. Ille regit dictis animos, & temperat iras. Hæc eadem sibi assumit apud Thucydidem Pericles, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἰο-

μαθόντας γνῶναί τε τὰ λοιπὰ, καὶ ἐμμεμνῆσθαι ταῦτα. Etenim ut impudentis est de iis quæ nesciat verba temere fundere, ita turpe est, quæ scias, ea plane & aperè explicare non posse. Nam illud quidem explosum pridem est, quod contra afferri solet, in eo quenque quod norit, satis esse eloquentem. Quid enim ad commode dicendum exercitatio dicendi conducat, usus ipse jampridem comprobavit. Sine præceptionibus autem aut nihil aut parum posse exercitationem, omnes intelligunt. Ac cognoscendi quidem ars est multiplex, dicendi vero una. Res enim ipsæ quæ disertæ orationi sunt subjectæ, vel militares ferè sunt, vel civiles. Ac civiles quidem vel è disciplina constituendarum & regendarum civitatum petendæ sunt, vel ex jurisdicendi scientia, quæ & ipsa pars est regendæ civitatis: dicendi vero præcepta à rhetoribus traduntur. Verùm si à nudis præceptis ad rerum ipsarum usum nos referamus, hæc, quæ dixi, omnia in historia esse reposita videbimus. Sed eam historiam accipio quæ est orationibus aspersa, directis potissimum. Nam & consilia, causæ, eventus, res gestæ (quæ omnia historicus studiosè persequitur) ad rerum administrationem pertinent: orationes verò ad dicendi facultatem referuntur. Sed si præclara quædam res est, posse mente & consilio providere, non minoris profecto est ingenii & industriæ, rectè provisa, & consulta, rectè explicare: ut in utrumque summopere eos incumbere oporteat qui ad res magnas gerendas accedunt. Ex enim ferè in hominum societate versantur, ubi quum accessit ad prudentiam authoritas, &, dicendi vis, non est dubium quin is qui illis est præditus, plurimum faciendo dicendoque consequatur. Id consilii habuerunt historici, quum quorum sapientiam in rebus providendis & gerendis descripserant, eorundem facundiam in illis communicandis expresserunt. Non quò omnes de quibus aliquid commemorant, utramque virtutem

adæquarint, ſed quia quantum diſerta prudentia poſſet, vel homines ab omni humanitatis cultu alieni intellexerunt. Nam & domi & militiæ principes in ſuis civitatibus viri ſæpe ſuis dicendo maximas utilitates attulerunt. Etenim Deus, qui hominum genus, ad Eccleſiam ſuam colligendam, incolume eſſe vellet, eos homines excitavit, qui graviſſimis temporibus ſuis civitatibus ſæpe ſalutem peperererunt. Per hos eſſe ſedatos maximos motus, concitatos ad ſalutem recuperandam homines deſperatione perculſos, defenſam æquitatem in ſenatu, in concione populi, in judiciis conatus improborum repreſſos, leges peſtiferas abrogatas, utiles vero confirmatas & conſtituras videmus. Nam quod eadem hæc ſapientiæ inſtrumenta nefarii homines ad perniciem vel civitatum vel ſingulorum hominum ſæpe converterunt, vitium hominum fuiſſe intelligimus, non rerum: & nos quæ dicimus, de ſapientia diſerta, non de inani garrulitate dicimus. Itaque quis dubitet quin hoc tempore noſtri, Rebus publicis eædem illæ animi dotes decus & præſidium afferre poſſint, maxime vero liberis? Neque enim hoc loco de cauſidicis & litigioſis dicimus, quorum ars, ſiqua eſt, aliis præceptis eſt munienda: ſed de civitatum moderatoribus. His rerum cognoſcendarum atq; dicendarum copiam hiſtoria, conjunctis orationibus, poteſt ſuppeditare. Quo magis miror, adeo negligenter eas artes à noſtris hominibus coli. Nam licet aliud ſit ſæpe Reipublicæ genus, alii mores & diſciplina civitatis: tamen multa ſunt quæ in ſenatu aut in concione populi conſimiliter agitanda ſint: ſeu leges ferendæ ſint, ſeu referendum ſit de pace, de ſocietate, de vectigalibus, de controverſiis, ſeu legationes mittendæ, vel obeundæ ſint. Quæ ſi quis aliquando ſuſcepit, qui dicendi eſſet imperitus, is, quantum ſit in infantia ad publicas res bene adminiſtrandas impedimenti, graviſſimus teſtis eſſe poteſt. Neque vero intelligo quamobrem minus hæc iis quoque quibus ſacræ conciones

nes habendæ sunt, subsidio non sint. Illarum autem rerum omnium varietatem & copiam suppeditant historicorum orationes, seu conciones sint (id est ἀγορήσεις) seu aliæ. Siquidem & res habent, quæ in civilem administrationem cadunt, & omne genus ipsamque dicendi vim summa varietate conditam continent. De rerum varietate nihil me attinet dicere. Dicendi vero vis est generibus quidem comprehensa, sed tamen gradibus & dissimilitudine infinita. In aliis brevitatem videas: in aliis copiam: in aliis vim: in aliis suavitatem: in aliis denique acumen. Dicunt alii presse, alii de re eadem uberius; alii ornatè, rursus alii tenuius. Dicunt alii lepiter, rursus alii sæpe de eadem re asperius. Ut res penè nulla sit studiose lector, quin si dicendo tibi explicanda sit, ejus formulam ex his orationibus possis depromere. Quod si nos magnæ artes delectant, cum in rebus parvis explicatæ, tamen in iis notari possunt (ut cum in minutis horologiis ars illa tota comparet) non est dubium quin nos conciunculæ ipsæ capere debeant, quæ artem copiosam in brevissimis orationibus exprimat. Ac, si est oratoris periti, & qui hoc Oratoris nomine dignus est, posset facultatē dicendi ad rerum naturam accommodare, varieque temperare, tum dilatare res angustas, tum ampliores contrahere; non parum habere artis & utilitatis has orationes intelligimus, in quibus hæc omnis varietas animadvertitur. Itaque ut orationum copiose dictarum habemus exempla vel apud Demosthenem, vel apud Ciceronem, ita hujus artificii breviter comprehensi nobis exempla ex his orationibus petenda sunt, quæ ex laudatissimis historicis excerptæ, & in unum corpus sunt redactæ. Et ne quid te legentem moraretur, & ut unde res ipsa, de qua dicitur, profecta esset, intelligeres, argumenta præfigenda curavi. Ea igitur quantopere & ad antiquitatis cognitionem & ad dicendi facultatem conducant, postquam accurate legeris, melius, ut spero, æstimabis. Vale.

TYPOGRAPHUS
BENEVOLO LECTORI
S.

VEnustè Symachus: *Supervacanei*, inquit, *laboris est commendare conspicua, ut si quis in Sole positis facem præferat, & accessu luminum claritudinem diei adjuvare gestiat.* lib. 3. Ep. 48. *Cui etiam ὁμόλογος est Vlpianus: Magnâ, asserens, commendatione non egeant, quorum utilitas ipsa sese ostendit.* l. 1. ff. de integr. rest. Et. in D. de J. P. *Monita Cl. horum virorum impræsentiarum secuti, noluimus huncce, quem denuo publicæ luci committimus, librum Orationes ex Latinis iisque Optimis Historicis, puta ex Salustio, Livio, Tacito & Curtio excerptas continentem, pomposo verborum circuitu περὶ τὰ ὄγκατα extollere multisque sermonum lenociniis ac fucis animum benevolentiamque cujusdam aucupari, cum opus ipsum se commendet satis, nec vino vendibili (ut vulgò dicitur) opus sit suspensa hedera.*

Vt autem Benevole Lector scias, quid in hac nova nostra Editione præstitum sit, quid additum, quid immutatum, pauca adaperire allubescit. Secuti sumus optimos quosque textus & Editiones, quibus Viri præfuere laudatissimi, utpote in Sallustio Thysii, *in Livio* Gronovii, *in Tacito* Bernegger*i, in que Curtio* Frienshemii *Editionem & exemplar. Eas deinde Orationes in Tacito quæ minus rectè erant locatæ, hortatu Doctissimi cujusdem viri in genuinum locum transtulimus, mutanda mutavimus & in luculentam quandam consonantiam redegimus. Vtere igitur hoc nostro labore feliciter, & si qua operarum incuriâ irrepserunt σφάλματα, haud gravatim emenda, porroque nobis fave. Vale.*

ORA-

ORATIONES
ex SALLUSTIO collectæ.

ORATIO CATILINÆ.
qua sui de Conjuratione consilii participes cohortatur.

SALLUST. CONJUR. CATIL.

Catilina, ubi eos, quos paulo ante fecerat sui de conjuratione consilii participes, *convenisse videt, tametsi cum singulis multa sæpe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare & cohortari, in abditam partem ædium secedit: atque ibi omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.*

NI virtus, fidesq; vestra satis spectata mihi foret; nequiequam opportuna res cecidisset: spes magna dominationis in manibus frustra fuisset; neque per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed, quia multis & magnis tempestatibus vos cognovi fortes, fidosq; mihi; eò animus ausus est maximum, atq; pulcherrimum facinus incipere; simul quia vobis eadem, quæ mihi, bona, malaque esse intellexi. Nam, *IDEM velle, atq; idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Sed ego, quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis. Cæterùm mihi indies magis animus accenditur, cum considero, quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmet ipsos vindicamus in libertatem. nam, postquam Resp. in paucorum potentiam jus, atque ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchæ vectigales esse: populi, nationes, stipendia pendere: cæteri omnes, strenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus sine gratia, sine authoritate, his obnoxii, quibus, si Resp. valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi

illi volunt: nobis reliquerunt pericula, repulsas, judicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini fortissimi viri? *Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam miseram, atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere?* Verumenimvero, pro Deùm atque hominum fidem! victoria in manu nobis est: viget ætas: animus valet. contra illis, annis, atque divitiis omnia consenuerunt. *Tantummodo incepto opus est: cætera res expediet.* Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? cum tabulas, signa, toreumata emunt, vetera negligunt, nova diruunt, alia ædificant: postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen summa libidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris æs alienum; mala res, spes multo asperior. Denique quid reliqui habemus, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam sæpe optastis, libertas? præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quàm oratio mea, vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utemini: neque animus, neque corpus à vobis aberit. Hæc ipsa ut spero vobiscum una Consul agam: nisi fortè me animus fallit, & vos servire magis, quàm imperare, parati istis.

ORATIO ALIA

Ejusdem Catilinæ, qua suos milites adhortatur.

SALLUST. CONJUR. CATIL.

Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugæ neque præsidii ullam spem, optimum factu ratus

in

in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primùm confligere. Itaque concione advocata hujusmodi orationem habuit.

COMPERTUM ego habeo, milites, *verba viris virtutem non addere*; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. *QUANTA cujusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet.* Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere: *timor animi auribus officit.* Sed ego vos, quò pauca monerem, advocavi, simul uti causam consilii mei aperirem. Scitis equidem, milites, socordia, atque ignavia Lentuli, quantam ipsi nobisque cladem attulerit: quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero, quo in loco res nostræ sint, juxtà mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo unus ab urbe, alter à Gallia obstant. Diutius in his locis esse, si maximè animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, ut forti, atque parato animo sitis; & quum prælium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus? omnia nobis tuta erunt: commeatus abundè, municipia, atque coloniæ patebunt: sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient: *neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint.* Præterea, milites non eadem nobis, & illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est, pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius aggredimini, memores pristinæ virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere: potuistis nonnulli Romæ, alienis bonis, alienas opes spectare. Quia illa fœda, atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis.

Si

Si hæc relinquere vultis, audacia opus est. *NEMO, nisi victor, pace bellum mutavit.* Nam, *in fuga salutem sperare, quum arma*, quibus corpus tegitur, *ab hostibus averteris; ea vero dementia est, SEMPER in prœliis maximum est periculum; qui maxime timent: Audacia pro muro habetur.* Quum vos considero, milites, & quum facta vestra æstimo: magna me spes victoriæ tenet. animus, ætas, virtus vestra me hortantur: præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam, multitudo hostium ne nos circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

ORATIO

Legatorum C. Manlii ad Q. Martium Regem.

SALLUST. CONJUR. CATIL.

Neque tamen Catilinæ furor minuebatur, sed indies plura agitare: arma per Italiam locis apportunis parare: pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Fesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciendi. Aliquanto post: *Interea Manlius in Hetruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore injuriæ novarum rerum cupidam: quod Syllæ dominatione agros bonaque omnia amiserat: præterea latr. &c.* Paulo post: *In quibus literis scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine, ante diem VI. Kal. Novembr.* Aliquanto post: *Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Martium regem mittit, cum mandatis hujusce modi.*

DEOS hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quò periculum aliis faceremus; sed uti corpora nostra

noſtra ab iniuria tuta forent: qui miſeri, [illegible] violentia atque crudelitate fœneratorum, [illegible] patria, ſed omnes fama atque fortunis exper[illegible] ſumus. Neque cuiquam noſtrùm licuit, more majorum, lege uti: neque, amiſſo patrimonio, corpus liberum habere: tanta ſævitia fœneratorum, atque Prætoris fuit. Sæpe majores veſtrum miſerti plebis Romanæ, decretis ſuis inopiæ ejus opitulati ſunt: Ac noviſſime memoria noſtra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis argentum ære ſolutum eſt. Sæpe ipſa plebs, aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum armata, à patribus ſeceſſit. At nos non imperium, neque divitias petimus; quarum rerum cauſa, bella atque certamina omnia inter mortales ſunt; ſed *libertatem*, quam *nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit*. Te, atque Senatum obteſtamur, ut conſulatis miſeris civibus, legis præſidium, quod iniquitas Prætoris eripuit, reſtituatis; neve nobis eam neceſſitudinem imponatis, ut quæramus, quonam modo, maxime ulti, ſanguinem noſtrum pereamus.

ORATIO

C. CÆSARIS ſuam ſententiam Senatui exponentis de conjurationis Catilinæ ſociis qui in cuſtodiis tenebantur.

SALLUST. CONJUR. CATIL.

Tunc D. Iunius Syllanus, primus ſententiam rogatus (quod eo tempore Conſul deſignatus erat) de iis qui in cuſtodiis tenebantur, & præterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, ſi deprehenſi forent, ſupplicium ſumendum decreverat: Iſque poſtea permotus oratione C. Cæſaris, pedibus in ſententiam Tiberii Neronis iturum ſe dixerat; quod de ea re, præſidiis additis, referendum eſſe cenſuerat. Sed Cæſar, ubi ad eum ventum eſt, rogatus à Conſule ſententiam, huiuſcemodi verba loquutus eſt.

OMNES

OMNES homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. HAUD *facile animus verum provident, ubi illa officiunt; neque quisquam omnium libidini simul & usui paruit.* UBI *intenderis ingenium, valet.* si libido possidet, ea dominatur; animus nihil valet, Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui reges, aut qui populi, ira, aut misericordia impulsi, male consuluerint: sed ea malo dicere, quæ majores nostri contra libidinem animi sui, rectè atque ordine fecere, Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna, atque magnifica, quæ populi Rom. opibus creverat, infida atque adversa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, nequis divitiarum magis, quàm injuriæ causa bellum incœptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum sæpe Carthaginienses & in pace, & per inducias multa nefanda facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecêre: magis, quod se dignum foret, quàm quod in illos jure fieri posset, quærebant. Hoc item vobis providendum est, P. C. ne plus apud vos valeat P. Lentuli, & cæterorum scelus, quam vestra dignitas, neu magis iræ vestræ, quàm famæ, consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat: iis utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositè atque magnificè casum Reipub. miserati sunt: quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravêre, rapi virgines, pueros: divelli liberos à parentum complexu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent; fana, atque domos exspoliari; cædem, incendia fieri: postremo armis cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortales, quo illa oratio pertinuit? an, ut

vos

vos infestos conjurationi faceret? scilicet quem res tanta atque tam atrox, non permovit, eum oratio accenderet. Non ita est, neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi etiam eas gravius æquo habuêre. Sed alia aliis licentia est, P. C. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquêre, pauci sciunt; fama, atque fortuna eorum pares sunt: qui, magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre. Ita *in maxima fortuna minima licentia est*: neque studere neque odisse, sed *minimè irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia, atque crudelitas appellatur.* Equidem ego sic existimo, P. C. omnes cruciatus minores, quàm facinora illorum esse. Sed plerique mortales postrema meminere; & in hominibus impiis, sceleris eorum obliti, de pœna disserunt, si ea paulo sævior fuerit. D. Syllanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quæ dixerit studio Reipub. dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus mihi non crudelis, (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena à Repub. nostra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te subegit, Syllane, Consulem designatum, genus pæne novum decernere. De timore, supervacaneum est differere: quum præsenti diligentia clarissimi viri Consulis, tanta præsidia sint in armis. De pœna possum equidem dicere id, quod res habet, *in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ neque gaudio locum esse.* sed, per Deos immortales quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An, quia lex Porcia vetat, at aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent? an quia gravius est verberari, quàm necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est in hominis tanti facinoris convictos?

victos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore negotio legem observare, quum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendat, quod in patricidas Reip. decretum erit? tempus, dies, fortuna, cujus libido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quidquid evenerit. Cæterùm vos, P. C. quid in alios statuatis, considerate. *Omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt.* sed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis, & idoneis, ad indignos & non idoneos tranfertur. Lacedæmonii, pervictis Athenienſibus, triginta viros imposuêre, qui Rempub. tractarent. Hi primo cæpêre pessimum quemque, & omnibus invisum indemnatum necare. Ea populus lætari, & merito dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, juxtà bonos & malos libidinosè interficere, cæteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostra memoria victor Sylla, quum Damasippum, & alios hujusmodi, qui malo Reipub. creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabant? homines sceleſtos, & factioſos, qui seditionibus Remb. exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Namque uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulo post ipsi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sylla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor. sed in magna civitate multa & varia ingenia sunt, potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. ubi hoc exemplo, per Senatus decretum, Consul gladium eduxerit; quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, P. C. neque consilii neque audaciæ unquam egu êre: neque superbia illis obstabat, quo minus instituta aliena, si

modo

modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria à Samnitibus, insignia magistratuum à Tuscis pleraque sumpserunt: Postremo, quod ubique apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: Imitari, quàm invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animvertebant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Respublica adolevit, multitudine civium factiones valuêre, circumveniri innocentes, alia hujusce modi fieri cœpêre. Tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hanc ego causam, P. C. quo minus consilium novum capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus, atque sapientia major in Illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecêre, quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus: Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? Minime: sed ita censeo; publicandas eorum pecunias; ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maximè opibus valent: neu quis de his postea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra Rempub. & salutem omnium facturum.

ORATIO

M. PORCII CATONIS proxime præcedenti orationi C. Cæsaris respondens.

SALLUST. CONJUR. CATIL.

Postquam Cæsar dicendi finem fecit, cæteri verbo alius alii varie assentiebantur, At M. Porcius Cato rogatus sententiam, hujusce modi orationem habuit.

LONGE mihi alia mens est, P. C. cum res, atque pericula nostra considero, & cum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mih

mihi diſſeruiſſe videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris, atque focis ſuis bellum paravere. res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos ſtatuamus, conſultare. Nam cætera maleficia tum perſequare, ubi facta ſunt: hoc, niſi provideris, ne accidat; ubi evenit fruſtra judicia implores. Capta urbe, nihil ſit reliqui victis. Sed per deos immortales, vos ego appello, qui ſemper domos, villas, ſigna, tabulas veſtras pluris, quam Rempublicam feciſtis: ſi iſta, cujuſcumque modi ſint, quæ amplexamini, retinere, ſi voluptatibus veſtris otium præbere vultis: expergiſcimini aliquando, & capeſſite Rempub. Non nunc agitur de vectigalibus, non de ſociorum injuriis; libertas, & anima noſtra in dubio eſt. Sæpenumero, P. C. multa verba in hoc ordine feci: ſæpe de luxuria atque avaritia noſtrorum civum queſtus ſum; multoſque mortales ea cauſa adverſos habeo. Quo mihi, atque animo meo nullius unquam delicti gratiam feciſſem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam. Sed ea tametſi vos parvi pendebatis; tamen Reſpub. firma erat: opulentia negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, boniſne, an malis moribus vivamus; neque quantum aut quàm magnificum imperium populi Romani ſit: ſed, hæc cujuſcumque modi videntur, noſtra, an, nobiſcum unà, hoſtium futura ſint. Hic mihi quiſquam manſuetudinem & miſericordiam nominat? Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus, quia bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eo Reſpub. in extremo ſita eſt. Sint ſane, quoniam ita ſe mores habent, liberales ex ſociorum fortunis, ſint miſericordes in furibus ærarii; ne illi ſanguinem noſtrum largiantur, &, *dum paucis ſceleſtis parcunt, bonos omnes perditum eant.* Benè & compoſitè C. Cæſar paulo ante in hoc ordine de vita & morte diſſeruit: credo, falſa exiſtimans ea, quæ de inferis memorantur, diverſo itinere malos à bonis loca tetra, inculta

ta, fœda atque formidolosa habere. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia. in custodiis habendos; videlicet, timens ne si Romæ sint aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi vero mali, atque scelesti tantummodo in urbe, & non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit, sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert, me mihi, atque vobis timere. Quare quum de P. Lentulo, cæterisque statuetis pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinæ, & de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit. si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nollite existimare, majores nostros armis Rempub. ex parva magnam fecisse, Si ita res esset, multo pulcherimam eam nos haberemus quippe sociorum, utque civium, præterea armorum, atque equorum major copia nobis, quam illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecêre, quæ nobis nulla sunt, domi industria, foris justum imperium; animus in consulendo liber, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequitur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est: omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam Rempub. Sed ego hæc omitto. Conjuravere cives nobilissimi patriam incendere. Gallorum gentem, infestissimam nomini Romano ad bellum arcessunt: dux hostium cum exercitu supra caput est. vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis quid, intra mœnia deprehensis hostibus, faciatis? Misereamini, censeo. deliquere homines adolescentuli per ambi-

ambitionem atque etiam armatos dimittatis. Næ ista vobis mansuetudo, & misericordia, si illi arma cæperint, in miseriam vertet. Scilicet res ipsa aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maximè; sed inertia & molitia animi alius alium exspectantes cunctamini videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc Remp. in maximis læpe periculis servavere. *Non votis neque supplicus muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. ubi socordiæ te, atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores:* irati infestique sunt. Apud majores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit, arque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit. vos, de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cætera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si diis, aut hominibus unquam ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ nisi iterum jam patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quidquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de Rep. habuissent. Postremo, P. C. si mehercle peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus: Catilina cum exercitu faucibus urget: alii intra mœnia, atque in sinu urbis sunt hostes, neque parari, neque consuli quidquam occulte potest, quo magis properandum est. Quare ego ita censeo; quum nefario consilio sceleratorum civium, Respub. in maxima pericula venerit, hique indicio T. Vulturtii, & legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, cædem, incendia, aliaque se fœda atque crudelia facinora in cives, patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum.

ORA-

ORATIO MICIPSÆ REGIS ad Jugurtham, qua eum officii sui admonet, finem vitæ sibi adesse intelligens.

SALLUST. IN BELLO JVGVRTH.

Fertur rex Micipsa, *ubi ea quæ fama acceperat,* Jugurtham bello Numantino in tantum claritudinem perveniſſe ut Romanis vehementer charus eſſet, *ex literis imperatoris ita eſſe cognovit, tum virtute tum gratia viri permotus flexit animum ſuum, & Iugurtham beneficiis vincere aggreſſus eſt, ſtatimque eum adoptavit, & teſtamento pariter cum filiis hæredem inſtituit:* quum antea ſibi ab eo timens, ideo illum Numidis quos in Hiſpaniam mittebat præfeciſſet, quod in eo bello facile occaſurum ſperaret. *Sed ipſe paucos poſt annos morbo atque ætate confectus, quum ſibi finem vitæ adeſſe intelligeret, coram amicis & cognatis, itemque Adherbale & Hiempſale filiis, hujuſce modi verba cum Iugurtha fertur habuiſſe.*

PARVUM ego te, Jugurtha, amiſſo patre, ſine ſpe, ſine opibus in meum regnum accepi, exiſtimans non minus me tibi, quam liberis ſi genuiſſem, ob beneficia charum fore. Neque ea res falſum me habuit. nam ut alia magna, & egregia tua facta omittam, noviſſime rediens Numantia, me regnumque meum gloria honoraviſti, tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amiciſſimos feciſti; in Hiſpania nomen familiæ noſtræ renovaſti: poſtremo, *quod difficillium inter mortales, gloria invidiam vicisti.* Nunc, quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo, obteſtorque te, ut hos qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres ſunt, caros habeas: nec malis alienos adjungere, quam ſanguine conjunctos retinere. *NON exercitus*

neque

neque thesauri, præsidia regni sunt, verùm amici. Quos neque armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur. Quis autem amicior quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem *ego regnum, vobis trado firmum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. NAM concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Cæterum ante hos te, Jugurtha, quia ætate, & sapientia prior es, ne alter quid eveniat providere decet, NAM *in omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen quia plus potest, facere videtur.* Vos autem, Adherbal & Hiempsal, colite & observate talem hunc virum: imitamini virtutem, & enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse.

ORATIO.

AD HERBALIS AD SENATVM Roma, qua se à Jugurtha regno fortunisque omnibus expulsum queritur.

SALVT. IN BELLO JVGVRTH.

Igitur ubi legati à Jugurtha cum argento & auro multo Romam missi *satis confidunt, die constituto Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo loquutum accepimus.*

PATRES conscripti, Micipsa pater meus moriens mihi præcepit uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam, cæterum jus, imperium ejus penes vos esse: simul eniterer domi militiæque quam maximo usui esse populo Romano, vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem. si ea fecissem, in vestra amicicia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum, Quæ præcepta patris mei quum agitarem; Jugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus contempto imperio vestro, Masinissæ me nepotem,

potem, utique à stirpe socium atque amicum pop. Rom. regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego P. C. quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quàm ob majorum meorum beneficia, posse me à vobis auxilium petere, ac maximè deberi mihi beneficia à pop. Rom. quibus non egerem; secundùm ea, si desiderandà erant, uti debitis uterer. Sed quoniam *parum tuta per se ipsa probitas est*, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret, ad vos confugi, P. C. quibus *quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quam usui esse*. Cæteri reges, aut bello victi in amicitiam à vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt. Familia nostra cum pop. Rom. bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus quàm fortuna pendenda erat. Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati me nepotem Masinissæ fruſtra à vobis auxilium petere. sed si ad impettandum nihil causæ haberem, præter miserandam fortunam; quòd paulo antè rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen *erat majestatis populi Romani prohibere injuriam*; neque pati, cujusquam regnum per scelus crescere. Verum ego iis finibus ejectus sum, quos majoribus meis pop. Rom. dedit: unde pater. & avus meus unà vobiscum expulere Syphacem, & Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P. C. vos in mea injuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, uti quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem feceris, is potissimùm stirpis tuæ extinctor sit? Nunquàm ne ergo familia nostra quieta erit? sempèrne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuêre, jure omnia sæva patiebamur, hostes ab latere: vos amici procul: spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, læti pacem agitabamus; quippe, queis hostis nullus erat, ni-

si

si forte quem vos jussissetis. Ecce autem ex improviso Jugurtha, intoleranda audacia scelere, atque superbia sese efferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum, regnum ejus sceleris sui prædam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim aut bellum expectantem in imperio vestro, (sicuti videtis) extorrem patria, domo inopem, & coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno essem. Ego sic existimabam, P. C. uti prædicantem audiveram patrem meum; qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus maximè tutos esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Jugurtham beneficiis suis ratus est nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus, alter ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potissimum infelix accedam? generis præsidia omnia extincta sunt: pater uti necesse erat, naturæ concessit: fratri quem minime decuit propinquus per scelus vitam eripuit: affines, amicos propinquos cæteros meos, alium alia clades oppressit; capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis objecti sunt: pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris cum mœrore & luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amisi, aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent: tamen, si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, P. C. quibus pro magnitudine imperii, jus & injurias omnes curæ esse decet. Nunc vero exul patria, domo solus, atque omnium honestarum rerum egens, quos accedam aut quos appellem, nationesne, an reges, qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monimenta plurima sint? an quisquam nostri misereri potest, quia aliquando, vobis

bis hostis fuit? Postremo, Masinissa nos ita instituit, P. C. ne quem coleremus, nisi pop. Rom. ne societate, ne fœdera nova acciperemus: abundè magna præsidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio, fortuna mutaretur. una occidendum nobis esse. Virture, ac diis volentibus, magni estis & opulenti: omnia secunda, & obedientia vobis sunt, quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos *privata amicitia* Jugurthæ, parum cognita, *transversos agat*: quos ego audio summa ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuatis: fingere me verba, & fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem hæc simulantem videam: & aliquando aut apud vos, aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc *sceleribus suis ferox atque præclarus est*, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves pœnas reddat. Jamjam frater animo meo chariſſime, quanquam tibi immaturo, &, unde minime decuit, vita erepta est, tamen *lætandum magis, quam dolendum puto casum tuum. non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, & has omnes, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti*: At ego infelix in tanta mala præcipitatus, *pulsus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo*: incertus quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens, an regno consulam, cujus vitæ necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam, emori fortunis meis honestus exitus esset: ne vivere contemptus viderer, si defessus malis: injuriæ concessissem, Nunc quoniam neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore, P. C. oro vos, per liberos, atque parentes vestros, per majestatem populi Romani, subvenite misero mihi, *ite obviam injuriæ*,

nolite pati regnum Numideæ, quod vestrum est, per scelus, & sanguinem familiæ nostræ tabescere.

ORATIO
C. MEMMII AD QUIRITES,
qua eos ad vindicandum in Jugurtham, qui Adherbalem necaverat, & in socios ejus sceleris, hortatur.

SALLUST. IN BELLO JUGURTH.

At C. Memmius, inter dubitationem & moras Senatus, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere ne Remp. ne libertatem suam desererent: multa superba & crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus, omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romæ Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existimavi unam ex tam multis orationem ejus perscribere. Ac potissimum eam dicam quam in concione post reditum Bestiæ hujuscemodi verbis disseruit.

MULTA me dehortantur à vobis, Quirites, ni studium Reip. omnia superet; opes factionis, vestra patientia, jus nullum; ac maxime quòd *innocentiæ plus periculi, quàm honoris est.* Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim, quàm ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœdè, quamque inulti perierint vestri defensores; uti vobis animus ab ignavia, atque socordia corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxii inimicis exurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse. Sed quanquam hæc talia sunt: tamen, obviam ire factiones potentiæ, animus subegit. Certe ego libertatem, quæ mihi à parente meo tradita est, experiar: verum id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod sæpe majores vestri fecere, uti contra iniurias armati eatis: nihil secessione opus est: necesse est, suomet ipsi more præcipites eant. Occiso

ciſo Tib. Graccho, quem regnum ſibi parare ajebant, in plebem Romanam quæſtiones graves habitæ ſunt. Poſt C. Gracchi, & M. Fulvii cædem, item ordinis veſtri multi mortales in carcere necati ſunt. Utriuſque cladis non lex, verùm libido eorum finem fecit. Sed ſane fuerit regni reparatio, plebi jura ſua reſtituere. quicquid ſine ſanguine civium ulciſci nequit, jure factum ſit. Superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari; reges, & populos liberos paucis nobilibus veſtigal pendere; penes eoſdem & ſummam gloriam, & maximas divitias eſſe: tamen hæc talia facinora impunè ſuſcepiſſe, parum habuêre: Itaque poſtremò leges, majeſtas veſtra, divina & humana omnia hoſtibus tradita ſunt. Neque eos, qui ea fecêre, pudet aut penitet: ſed *incedunt per ora veſtra magnificè*, ſacerdotia, & conſulatus, *pars triumphos ſuos oſtentantes: perinde quaſi ea honori, non prædæ*, habeant, *Servi ære parati injuſta imperia dominorum non perferunt:* vos, Quirites, imperio nati, æquo animo ſervitutem toleratis? At qui ſunt hi, qui Rempub. occupavêre? homines ſceleratiſſimi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentiſſimi, idemque ſuperbiſſimi; quibus *fides, decus, pietas, poſtremò honeſta atque inhoneſta omnia quæſtui ſunt.* Pars eorum, occidiſſe Tribunos plebis, alii quæſtiones injuſtas, plerique cædem in vos feciſſe, pro munimento habent. Itaque *quàm quiſque peſſimè fecit, tam maxime tutus eſt*: metum à ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram tranſtulêre: *quos omnes eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere in unam coegit.* Sed hæc *inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.* Quòd ſi vos tam libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accenſi ſunt; profectò neque Reſpub. ſicuti nunc, vaſtaretur, & *beneficia veſtra penes optimos, non audaciſſimos*, forent. Majores veſtri parandi juris, & majeſtatis conſtituendæ gratia, bis per ſeceſſionem armati

Aventinum montem occupavere : vos pro libertate, quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini ? atque eo vehementius, quo *majus dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse*? Dicet aliquis, Quid igitur censes ? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere Rempub. non manu, neque vi ; quod magis, vos feciſſe, quam illis accidiſſe, indignum est ; verum quæstionibus, & indicio ipsius Jugurthæ, qui si dedititius est ; profecto jussis vestris obediens erit : sin ea contemnit, scilicet æstimabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maximæ divitiæ, ad Rempub. damna, atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet : & illa, quam hæc tempora, magis placent, quum regna, provinciæ, leges, jura, judicia, bella, atq; paces ; postremo divina & humana omnia penes paucos erant : vos autem, hoc est, pop. Rom. invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animum retinere. Nam servitutem quidem quis vestrum audebat recusare ? Atque ego tametsi virum flagitiosissimum existimo impunè injuriam accepisse ; tamen, vos hominibus sceleratissimis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam & illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male feciſſe, nisi deinde faciundi licentia eripiatur ? & vobis æterna solicitudo remanebit, quum intelligetis aut serviendum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiæ quæ spes est ? Dominari illi volunt, vos liberi esse : facere illi injurias, vos prohibere : postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam diversis mentibus pax, aut amicitia esse ? Quare moneo, hortorque vos, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ, quæ quanquam

quam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur, hosti acerrimo prodita Senatus authoritas, proditum imperium vestrum est: domi militiæque Resp. vænalis fuit. Quæ nisi quæsita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecêre, obedientes vivamus? NAM *impune quælibet facere, id est, regem esse.* Neque ego vos, Quirites, hortor, uti jam malitis cives vestros perperam, quàm recte feciſſe: sed ne *ignoscendo malis, bonos perditum eatis.* Ad hoc, *in Repub. multo præstat, beneficii, quam maleficii, immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas: at malus improbior.* Ad hoc, si iniuriæ non sint haud sæpe auxilii egeas.

ORATIO MARII ad QVIRITES, de se & de ea quam parabat in Africam expeditione.

SALLVST. IN BELLO JVGVRTH.

Nam Marius, postquam, omnibus quæ postulaverat decretis, milites scribere vult, hortandi causa, simul & nobilitatem, ut consuaverat, exagitandi concionem populi advocavit: deinde hoc modo disseruit.

SCIO ego, Quirites, pleroſque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere: *primo industrios, supplices modicos esse: deinde per ignaviam & superbiam ætatem agere,* sed mihi contra videtur. Nam quo universa Respub. pluris est quam Consulatus aut Prætura, eo maiore cura illam administrari, quam hæc peti debere. Neque me fallit quantum cum vestro beneficio maximo negotii sustineam. Bellum parare, simul & ærario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; *domi, foriſque omnia curare, & ea agere inter invidos, occursantes, factiosos, opinione,* Quirites, *asperius est.* Ad hoc, alii, si deliquere

quere, vetus nobilitas, majorum fortia facta, cognatorum & affinium opes multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: *mihi spes omnes in memet sitæ: quas necesse est & virtute & innocentia tutari. nam alia infirma sunt.* Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse, æquos, bonosque favere; quippe benefacta mea Reipub. proceduntur: nobilitatem locum invadendi quærere. Quo mihi acrius adnitendum est ut neque vos capiamini, & illi frustra sint. *Ita ad hoc ætatis à puertitia fui, ut omnes labores & pericula consueta habeam.* Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, *non est consilium*, Quirites. *Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit.* Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis: quam rem nobilitas ægerrime tulit. Quæso, reputare cum animis vestris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem *veteris prosapiæ*, ac multarum imaginum & *nullius stipendii*: scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Ita plerunque evenit, ut, quem vos imperare jussistis, is sibi imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui, postquam Consules facti sunt, acta majorum & Græcorum militaria præcepta legere cœperint, homines præposteri! nam *gerere quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est.* Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. *Quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi, quæ illi literis, ea ego militando didici.* Nunc vos *existimate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur.* Quanquam ego *naturam unam & communem*

munem omnium existimo, sed *fortissimum quemque generosissimum esse*. Ac si jam ex patribus Albini, aut Bestiæ quæri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optimos voluisse? Quod si jure despiciunt me, faciunt idem majoribus suis; quibus, uti mihi *ex virtute nobilitas cœpit*, Invident honori meo: ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. *Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi honores vestros contemnant: ita hos petunt, quasi honeste vixerint.* Næ illi *falsi sunt qui diversissimas res pariter expectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis*, Atque etiam quum apud vos aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. nam, *quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior*. Et profecto *ita se res habet* MAJORVM *gloria posteris lumen est, neque bona neque mala eorum in occulto patitur*. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id, *quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet*. Nunc videte *quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant; id mihi ex mea non concedunt*: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova *nobilitas est: quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse*. Equidem ego non ignoro, si jam mihi respondere velint, abunde illis facundam & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, *non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret*. Nam me quidem ex animi mei sententia lædere nulla oratio potest quippe vera necesse est bene prædicet: falsam vita moresque mei superant. sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem, & maximum negotium

impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, num id pœnitendum ſit. Non poſſum, fidei cauſa, imagines neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea *cicatrices adverſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc mea nobilitas non hæreditate relicta, ut illa illis, ſed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæſivi.* Non ſunt compoſita verba mea. Parum id facio. *Ipſa ſe virtus ſatis oſtendit: illis artificio opus eſt, uti turpia factа oratione tegant.* Neq; literas Græcas didici. parum placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Reipub. doctus ſum; hoſtes ferire, præſidia agitare, *nihil metuere, niſi turpem famam; hyemem & æſtatem juxta pati, humi requieſcere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare.* His ego præceptis milites hortabor: *neque illos arcte colam, me opulenter*: neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc eſt utile, hoc civile imperium. Namque *quum tu te per molliciem agas, exercitum ſupplicio cogere, eſt hoc dominum, non imperatorem eſſe.* Hæc atque alia majores veſtri faciendo, ſeque remque pub. celebravere. Queis nobilitas freta, ipſa diſſimilis moribus nos illorum æmulos contemnit: & omnes honores, non ex merito, ſed quaſi debitos; à vobis repetit, Cæterum homines ſuperbiſſimi procul errant. Majores eorum omnia quæ licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam ſui præclaram: *virtutem non reliquere*, neque poterant. EA *ſola neque datur dono, neque accipitur.* Sordidum me & incultis moribus aiunt: quia parum ſcite convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretii coquum quam villicum habeo. quæ mihi libet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & ex aliis ſanctis viris ita accepi, MVNDITIAS *mulieribus, viris laborem convenire*; *omnibuſque bonis*

bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum esse: arma, non supellectilem, decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum æstimant, id semper faciant: ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri & turpissimæ parti corporis: sudorem, pulverem & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non ita est. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri, honorum præmia ereptum eunt. Ita injustissime *luxuria & ignavia, pessimæ artes*, illis qui coluere eas, nihil officiunt, Reip. innoxiæ cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi: pauca de Repub. loquar. Primo omnium, de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. Dein exercitus ibi est *locorum sciens*, sed mehercule *magis strenuus, quam felix.* Nam magna pars ejus avaritia aut temeritate ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus *militaris ætas* est, adnitimini mecum, & *capessite Rempub.* neque quenquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet *in agmine atque in prælio consultor idem & socius periculi vobiscum* adero: *meque vosque* in omnibus rebus *juxta geram.* Et profecto, *diis juvantibus, omnia matura sunt victoria, præda, laus*: quæ si dubia aut procul essent tamen omnes bonos Reipub. subvenire decet. Etenim *nemo navia immortalis factus*: *neque quisquam parens liberis, ut æterni forent*, optavit; *magis ut boni honestique* vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent. Nam strenuis abunde dictum puto.

ORATIO.
SYLLÆ AD BOCCHVM REGEM SALLVST. IN BELLO JVGVRTH.

Legati à Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidiſſimos ad eum mitteret: velle de ſuo & de Populi Rom. commodo cum iis diſſerere. Ille ſtatim L. Syllam & A. Manlium iri jubet. Qui quanquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere: uti ingenium ejus, aut adverſum flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sylla, cujus facundiæ non ætati à Manlio conceſſum eſt, pauca verba hujuſcemodi loquutus.

REx Bocche, magna lætitia nobis eſt, quum te talem virum dii monuere; ut aliquando pacem, quam bellum malles, neu te optimum cum peſſimo omnium Jugurtha miſcendo commaculares; ſimul nobis ut demeres acerbam neceſſitudinem, pariter te errantem, & illum ſceleratiſſimum perſequi. Ad hoc pop. *Romano, jam à principio inopi, melius viſum, amicos, quam ſervos, quærere, tutiuſque rati volentibus quam coactis imperitare.* Tibi vero nulla opportunior amicitia noſtra: primum quod procul abſumus; in quo offenſæ minimum, gratia par, aeſi prope adeſſemus: dein, quod parentes abunde habemus, AMICORVM *neque nobis, neque cuiquam omnium ſatis fuit.* Atque hoc utinam à principio tibi placuiſſet: profecto ex pop. Rom. ad hoc tempus multo plura bona accepiſſes quam mala perpeſſus es. Sed quoniam *humanarum rerum fortuna pleraque regit,* cui ſcilicet placuit & vim & gratiam noſtram experiri: nunc, quando per illam licet, feſtina; atque, uti cœpiſti, perge. Multa atque opportuna habes: quo facilius errata officiis ſuperes. Poſtremo *hoc in pectus tuum dimitte, nunquam populum Rom. beneficiis victum eſſe.* Nam bello quid valeat, tute ſcis.

ORA-

ORATIO
BOCCHI ad SYLLAM, qua ſuum erga illum ſtudium exponit, & ſe bellum populo Rom. facere voluiſſe negat.

SALLVST. IN BELLO JVGVRTH.

NVNQVAM ego ratus ſum fore, ut rex maximus in hac terra, & omnium, quos novi, opulentiſſimus, privato homini gratiam deberem. Et mehercule Sylla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigus. Id immutatum mihi, quod cæteri dolere ſolent, ego lætor: Fuerit mihi pretium eguiſſe aliquando tuæ amicitiæ; qua apud animum meum nihil charius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, poſtremò quicquid animo libet, ſume, utere: &, quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam putaveris; ſemper apud me integra erit: Denique nihil me ſciente fruſtra voles. Nam, ut ego exiſtimo *Regem armis, quàm munificentia, vinci minus flagitioſum.* Cæterum de Repub. veſtra, cujus curator huc miſſus es, paucis accipe. Bellum ego pop. Rom. neque feci neque factum unquam volui. fines meos adverſum armatos armis tutatus ſum. Id omitto: quando vobis ita placet, gerite, uti vultis, cum Jugurtha bellum: ego flumen Mulucham, quod inter me & Micipſam fuit, non egrediar, neque id intrare Jugurtham ſinam. Præterea ſi quid meque vobiſque dignum petieris, haud repulſus abibis.

ORATIO
LEPIDI CONS. ad Popul. Rom.
Ex LIBRIS HIST. SALLVS.

CLEMENTIA & probitas veſtra, Quirites, quibus per cæteras gentes maximi, & clari eſtis, plurimum timoris mihi faciunt, advetſus tyranni-

tyrannidem L. Syllæ: ne aut ipſi, quæ nefanda æſtimatis, ea parum credendo de aliis, circumveniamini: præſertim quum illi ſpes omnis in ſcelere atque perfidia ſit; neque ſe aliter tutum putet, quàm ſi peior atque inteſtabilior metu veſtro fuerit, quò captivis libertatis curam miſeria eximat: aut, ſi provideritis, in tutandis periculis magis quam in ulciſcendo teneamini. *Satellites quidem eius, homines maximi nominis, non minus optimis maiorum exemplis, nequeo ſatis mirari, dominationis in vos ſervitium ſuum mercedem dant*: & utrumque per iniuriam malunt, quàm optimo iure, liberi agere. *Præclara Brutorum atque Æmiliorum & Luctatiorum proles, geniti ad ea, quæ maiores virtute peperere, ſubvertenda.* Nam *quid à Pyrrho, Hannibale, Philippoque & Antiocho defenſum eſt aliud quàm libertas & ſua cuique ſedes; neu cui, niſi legibus, pareremus?* Quæ cuncta ſævus iſte Romulus, quaſi ab externis rapta, tenet; non tot exercituum clade, neque COSS. & aliorum Principum quos fortuna belli conſumpſerat, ſatiatus: ſed tum crudelior, quum *pleroſque ſecundæ res in miſerationem ex ira vertunt.* Quin ſolus omnium, poſt memoriam hominum, ſupplicia in poſt futuros compoſuit: queis prius iniuria quàm vita certa eſſe: praviſſimeque per ſceleris immanitatem adhuc turus furit, dum vos, metu gravioris ſervitii, è repetenda libertate terremini. Agendum, atque, obviam eundum eſt, Quirites: ne ſpolia veſtra penes illos ſint. Non prolatandum, neque votis paranda auxilia. niſi forte ſperatis per tædium iam aut pudorem tyrannidis, eſſe eum per ſcelus occupata periculoſius dimiſſurum. At ille *eò proceſſit uti nihil glorioſum, niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta æſtimet.* Itaque illa *quies, & otium cum libertate*, quam multi probi *potius quam laborem cum honoribus* capeſſebant, nulla ſunt. Hac tempeſtate ſerviendum aut imperitandum:

habeu-

habendus metus est aut faciendus, Quirites. Nam quid ultra; quæve humana superant; aut divina impolluta sunt; Populus Romanus paulo antè gentium moderator, *exutus imperio, gloria, jure*, agitandi inops, despectusque, ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum & Latii magna vis, civitate pro multis & egregiis factis à vobis data, per unum prohibentur: & plebis innoxiæ patris sedes occupavêre pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes unum, denique necis civium & vitæ licentiam. Simul humanas hostias vidistis, & sepulchra infecta sanguine civili. *Estne juris reliqui aliud quàm solvere injuriam, aut mori per virtutem?* Quoniam quidem *unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit: neque quisquam extremam necessitatem mihil ausus, nisi muliebri ingenio expectat.* Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum quæro: & bellum cupiens, quia jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius, aliena bene parta prodegerint: nisi approbaveritis omnes proscriptiones innoxiorum ob divitias: cruciatus virorum illustrium, vastatam urbem fuga, & cædibus, bona civium miserorum, quasi Cimbricam prædam, vænum, aut dono datam. At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: *quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me, neque quenquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus.* At qui illa, quanta formidine mercatus sum, pretio soluto, jure, dominis tamen restituo: neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ, rabie contracta, toleravimus, manus conferentes inter se Romanos exercitus, & arma ab externis in nosmet versa. Scelerum & contumeliarum omnium finis sit: quorum adeo Syllam non pœnitet, ut & facta in gloria numeret, &, si liceat, avidius fecerit. Neque jam,

quid

quid existimetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor: ne, alius alium Principem expectantes, ante capiamini, non opibus ejus, quæ futiles & corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam raptum ire licet, & quam audeat tam videri felicem. Nam præter satellites, commaculatos quis eadem vult? aut quis non omnia mutata præter victoriam? scilicet milites: quorum sanguine, Terrulæ, Scyroque pessimis servorum divitiæ partæ sunt: an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fucidius, ancilla turpis, & *honorum omnium dehonestamentum*? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores nihil, præter tyrannum, quæsitum est. Nisi forte Tribunitiam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam à majoribus suis; utique jura & judicia sibimet extorquerent: egregiâ scilicet mercede quum relegati in paludes & sylvas, in contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia *secundæ res mire sunt vitiis obtentui*: quibus labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi fortè specie concordiæ & pacis, quæ sceleri & patricidio suo nomina indidit. Neque aliter P. R. esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebs, præda civilis acerbissima, jus, judiciumque omnium rerum penes se, quod pop. Roman. fuit. Quæ, si vobis pax & concordia intelliguntur maxima turbamenta Reipub. atque exitia probate: annuite legibus impositis; accipite otium cum servitio; & tradite exemplum posteris ad pop. Romanum suimet sanguinis cæde circumveniendum. Mihi, quanquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat, nomini majorum, dignitati, atque etiam præsidio: tamen non fuit consilium, privatas opes facere; *potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio.* Quæ si probatis adeste Quirites; & bene juvantibus diis, M. Æmillium Consulem, ducem

ducem & authorem ſequimini, ad recipiendam libertatem.

ORATIO
C. COTTÆ CONSULIS ad Populum
EX IISDEM HIST. SALLUSTII.

QUIRITES, multa mihi pericula domi, militiæ multa adverſa fuere; quorum alia, toleravi, partim repuli deorum auxiliis, & virtute mea: inque his omnibus, neque animus negotio defuit; neque decretis labos. *Malæ ſecundæque res, opes, non ingenium* mihi mutabant: at contra *in eis miſeriis cuncta me cum fortuna deſeruere.* Præterea *ſenectus per ſe gravis*, curam duplicat, cui miſero ſenecta jam ætate, ne mortem quidem honeſtam ſperare licet. Nam ſi parricida veſtri ſum, & genitus hic, deos penates meos patriamque, & ſummum imperium vilia habeo, qui mihi vero cruciatus ſatis eſt, aut quæ pœna mortuo? cum omnia memorata apud inferos ſupplicia ſcelere meo vici? A prima adoleſcentia in ore veſtro privatus, & in Magiſtratibus egi: qui lingua, qui conſilio meo, qui pecunia voluere, uſi ſunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad male faciendum exercui: avidiſſimus privatæ gratiæ maximas inimicitias pro Repub. ſuſcepi: qui victus cum illa ſimul, cum egens alienæ opis, plura mala expectarem; vos, Quirites rurſus mihi patriam, deos penates, cum ingenti dignitate dediſtis. Pro quibus beneficiis, vix ſatis gratus, ſi ſingulis animam, quam nequeo, conceſſerim. NAM *vita & mors jura naturæ ſunt: ut ſine dedecore cum civibus, fama & fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur.* Conſules nos feciſtis, Quirites domi bellique impediriſſima Repub. Namque imperatores Hiſpaniæ ſtipendium, milites, arma, frumentum poſcunt: & id res cogit; quoniam poſt defectionem ſocio-

rum

rum, & Sertorii per montes fugam, neque manu certare poſſunt, neque utilia parare. Exercitus in Aſia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hoſtium eſt: nec minus Italiæ maritima & provinciarum: cum interim vectigalia parva, & bellisincerta, vix partem ſumptuum ſuſtinent: ita claſſe, qua commeatus vehebatur, minore quam antea navigamus. Hæc ſi dolo aut ſocordia noſtra contracta ſunt, agite uti lubet, & ita ſupplicium ſumite: ſin communis fortuna aſperior eſt, quare indigna vobis nobiſque & Reipub. incipitis? Atque ego, cujus, ætati mors propior eſt, non deprecor, ſiquid ea vobis incommodi demitur: neque mox ingenuo corpori honeſtius, quam pro vera ſalute finem vitæ fecerit. Adſum en C. Cotta Conſul, facio, quod ſæpe majores aſperis bellis fecêre; voveo, dedoque meo pro Repub. quam deinde cui mandetis, circumſpicere. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunæ, & pacis, & belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum ſit. Tantummodo in animis habetote, non me ob ſcelus aut avaritiam cæſum ſed volentem pro maximis beneficiis animam dono dediſſe. Per vos igitur, Quirites ad gloriam majorum tolerate adverſa & conſulite Reipub. Multa cura ſummo imperio ineſt, multi ingentes labores: quos nequicquam abnuitis, & pacis opulentiam quæritis: cum omnes provinciæ, regna, maria, terræque aſpera, aut feſſa bellis ſint;

ORATIONES ex LIVIO collectæ.

PRECATIO ROMULI ad Jovem Statorem, ut Romanis adversus Sabianos ferat opem.

ARGUMENTUM.

Sabini post Cenienses, Cruſtruminos, & Antennates, omnium noviſſimi contra Romanos pugnarunt. Ii dolo quodam uſi, opera virginis cujuſdam auro à Tatio rege corruptæ, in arcem Romanam etiam armati accipiuntur. Indignatione, atque ira cupiditateque recuperandæ arcis ſtimulati Romani, poſtero die iniquo loco adverſus hoſtes ita infeliciter pugnant, ut Hoſtius Hoſtilius eorum dux tandem occubuerit. Ita cæſo duce acies Romana facile fuſa eſt ad portum veterem palatii: quo actus & ipſe Romulus turba fugientium, arma ad cœlum tollens, ita Iovem precabatur, ut Romanis adeſſet propitius.

JUPITER tuis juſſus avibus hic in Palatio prima Urbi fundamenta jeci, arcem jam ſcelere emptam Sabini habent, inde huc armati ſuperata media valle tendunt. At tu, pater Deum hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes: deme Romanis terrorem, fugamque fœdam ſiſte. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum ſit, poſteris, tua præſenti ope ſervatam Urbem eſſe voveo.

VERBA

VERBA
PROCULI JULII ad pop. Rom. consolationis plena.

ARGVMENTVM

Lenit atque mitigat Proculus Iulius plebi Romanæ desiderium Romuli, qui quum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capreæ paludem haberet, subito coorta tempestate cum magno fragore, tonitribusque, denso item nimbo, ita cœlo sublatus est, ut in terris postea nunquam visus sit.

ROMVLVS, Quirites, patens urbis hujus, prima hodierna luce cœlo repente delapsus, se mihi obvium dedit, quum profusus horrore venerabundusque astitissem, petens precibus, ut contra intueri fas esset; abi, nuncia (inquit) Romanis, Cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit: proinde rem militarem colant; sciantque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.

ORATIO
METTII SVFFETII ad Tullum Hostilium Regem Romanorum, de pace componenda inter Romanos & Albanos.

ARGVMENTVM.

Cajus Cœlius Albæ imperabat, Romæ Tullus Hostilius, quum Romani ex agro Albino, Albini ex Romano prædas agerent. Tum vero utrinque legati ad res repetendas missi. Contigit forte ut Romani priores functi legatione, quum non impetrassent quod repoposcerant, bellum neganti Albano, sicuti mandatum erat, in trigesimum diem indicerent. Quorum factus certior Tullus, repetentibus res suas Albanis jubet, regi suorum nuntient, ita se velle, uter prior populus res repetentes legatos aspernatus

ſpernatus dimiſiſſet, ut in eum Dii omnes hu'uſce belli clades expetant. His nunciatis, bellum utrinque ſumma vi & ope parabatur. Ac Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum incurſiones faciunt: caſtra non amplius quinque millia paſſuum ab urbe locant: in quibus Clælius moritur. Albani comperta morte ad Mettium Suffetium imperii ſummam deferunt: qui acciri ad colloquium Tullum jubet. Prior Mettius in hanc ſententiam de totius rei ſumma loquutus eſt.

INJURIAS & non redditas res ex fœdere, quæ repetitæ ſunt, & ego regem noſtrum Clœlium cauſam hujuſce eſſe belli, audiſſe videor: nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre. Sed ſi vera potius quam dictu ſpecioſa dicenda ſunt, *cupido imperii duos cognatos vicinoſque populos ad arma ſtimulat.* Neque rectè, an perpetam, interpretor: fuerit iſta ejus deliberatio qui bellum ſuſcepit. me Albani gerendo Bello ducem creavere. illud te, Tulle, monitum velim: Etruſca res, circa nos teque maximè ſit, quo prior Volſcis, hoc magis ſcis. *multum illi terra, plurimum mari pollent.* Memor eſto, jam quum ſignum pugnæ dabis, has duas acies ſpectaculo fore; ut feſſos confectoſque ſimul, victorem ac victum aggrediantur. Itaque ſi nos Dii amant, quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii ſervitiique aleam imus; ineamus aliquam viam, qua, uti utris imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine utriuſque populi decerni poſſit.

ORATIO
P. HORATII ad populum pro filio perduellionis reo.

ARGUMENTUM.

Horatius, is qui ſolus ex tergeminis fratribus ſuperfuit, quum tergemina ſpolia victor gerens, obviam ſororem

ſororem, cognita fœte veſte Curiatii ſponſi, paſſis crinibus flebiliter ſponſum nomine appellare videret, motus comploratione intempeſtiva eam ferro transfigit. Hoc nomine in jus ad Regem Tullum quum raptus eſſet à Tullo duumviri capitales, ſicuti lex jubebat, fiunt, qui Horatio perduellionem judicarent. Iam duumvir ei perduellionem judicarat, jam lictor juſſus laqueum injiciebat quum authore Tullo, Provoco, inquit. Ita de provocatione ad populum certatum eſt: quo judicio abſolutus eſt, magis admiratione virtutis quam jure cauſæ. Ac in eo quidem judicio maxime pater homines movet, qui præter alia, hac oratione uſus eſt.

HUNCCINE, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod *vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent.* I, lictor, colliga *manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt.* I, caput obnube liberatoris urbis huius: arbori infelici ſuſpende; verbera vel intra pomœrium, modo intra illa pila, & ſpolia hoſtium: vel extra pomœrium, modo intra ſepulcra Curiatiorum. *Quo* enim ducere hunc iuvenem poteſtis, *ubi non ſua decora eum à tanta fœditate ſupplicii vindicent?*

ORATIO

TVLLI ROMANORVM REGIS de proditione Metii Suffetii Albanorum ducis, ad milites.

ARGUMENTUM.

Metus Suffetius dux Albanorum in fide Romanorum per ſpeciem ſimulationis manens, Fidenates concita-

bat

bat ad bellum gerendum adversus Romanos. Is, assumptis sociis consilii Veientibus, jam disponebant acies, quum adversus Veientes Tullus suos dirigit, Albanos duce Mettio contra Fidenates collocat. Albanus eo bello sicuti hostibus receperat, clam, non ausus aperte, ac sensim subit ad montes. Ita nihil ominus dimicatum est, ut fusi hostes; fugatique victores Romani fuerint. Postero die vocat ad concionem Romanos Albanosque Tullus; ibi proditionem Suffetii aperit.

ROMANI, si unquam ante alias ullo in bello fuit, quod primum Diis immortalibus gratias ageretis, deinde vestræ ipsorum virtuti hesternum id prælium fuit. Dimicatum est enim non magis cum hostibus, quam, quæ *dimicatio maior ac periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum.* Nam, ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiêre ad montes, nec imperium illud meum, sed consilium, & imperii simulatio fuit: ut nec vobis ignorantibus deseri vos, averteretur à certamine animus, & hostibus circumveniri se à tergo ratis, terror ac fuga injiceretur. Nec ea culpa, quam arguo omnium Albanorum est, ducem secuti sunt: ut & vos, si quo ego inde agmen declinare voluissem feciſſetis. Metius ille est doctor itineris huius, Metius idem huius machinator belli, Metius fœderis Romani Albanique ruptor. Audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentum mortalibus dedero. *Centuriones armati Metium circumsistunt*, rex cætera, *ut orsus erat, peragit.* Quod bonum, faustum, felixq; sit populo Romano, ac mihi vobisq; Albani; populum omnem Albanum Romam traducere in animo est, civitatem dare plebi, primores in Patres legere; unam urbem, unam Rempub. facere. Ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est, sic nunc in unum redeat, *Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis septa, in variis voluntatibus communi tamen metu cogente, silentium*

silentium tenet, Tum Tullus. Meti Suffeti, *inquit*, si ipse discere posses fidem ac fœdera servare; vivo tibi ea disciplina à me adhibita esset. Nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quæ à te violata sunt. Ut igitur paulo antè animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis.

VERBA.
SEU EXHORTATIO TANAQUIL ad Servium generum de regno.

ARGUMENTUM.

Anci Martii filii duo erant, qui quum pro indignissimo haberent se per Tarquinium regni possessione pulsos, multo tamen indignius illud ferentes, quod ad Servium Tullum serva natum imperium casurum videbatur. regem per duos pastores, quos ad facinus delegerant, interficiunt. Tanaquil regina de viri salute prorsus desperans, propere accitum Servium, ad imperium his verbis hortatur.

TUUM est, Servi, si vir es, regnum: non eorum qui alienis manibus pessimum facinus facere. Erige te, Deosque duces sequere, qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa cœlestis excitet flamma. nunc expergiscere vere. *Et nos peregrini regnavimus. Qui sis, non unde natus sis, repuot.* Si tua re subita consilia torpent, ac tu mea sequere.

EXHORTATIO TULLIÆ ad L. TARQUINIUM maritum suum, de regni affectatione.

ARGVMENTVM.

Servius Tullius rex veritus ne à liberis duobus Prisci Tarquinii sibi pararentur insidiæ, quemadmodum ipsi

ipsi Prisco à filiis Anci nexæ fuerant: iis filias suas collocaverat: ita tamen, ut cum essent dispares moribus, ferox mitis ingenii filio daretur, mitis feroci viro, minor ægre passa cum impari se conjungi, sic rem cum L. Tarquinio sororis marito transigit, ut interempto utroque jungi matrimonio placeret. Ea haud ita multo post, maritum ipsum ad regni affectationem sollicitat.

SI tu is es, cui nuptam esse me arbitror, & virum & regem appello: sin minus, eo nunc pejus mutata est res, quod isthic cum ignavia est scelus. Quin accingeris? Non tibi ab Corintho, nec ab Tarquiniis, uti patri tuo, peregrina regna moliri necesse est. Dii te penates patriique, & patris imago, & domus regia, & in domo regale solium, & nomen Tarquinium creat vocatque Regem. Aut si ad hæc parum est animi, quid frustratis civitatem? quid te ut regium juvenem conspici finis? Facesse hinc Tarquinios, ut Corinthum. Devolvere retro ad stirpem, fratri similior, quam patri.

LUCRETIÆ QUERELÆ ac lamentatio ad virum, patrem, & amicos, de violatione.

ARGVMENTVM.

Inciderat forte de uxorum forma mentio cœnantibus Tarquinio superbi liberis apud sextum Tarquinium fratrem, cum Collatino Tarquinio. Quum nemo non suam laudaret, illud ipsum experiri placuit. Penes Lucretiam Collatini Tarquinii uxorem, ejus certaminis laudem ac victoriam omnes fatentur. Inde sextus Tarquinius fœda libidine Lucretiæ pervim stuprandæ captus, pacis interjectis diebus Collatiam venit: acceptus benigne domum ubi tempus adesse videt, stricto gladio ad eum dormientem accedit. Ibi cum mortua se jugulatum servum positurum ad postremum dices, obstinatam pudi-

ticiam

dicitiam vincit. Postero die mœsta, patrem, maritum singulosque amicos celeriter venirent monet: rem enim atrocem incidisse. Rem ipsam præsentibus, sicuti habebat exponit.

QUÆRENTI viro, Satin salve? minime, inquit, *quid* enim *salvi est mulieri amissa pudicitia?* Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Cæterum *corpus est tantum violatum, animus insons*, mors testis erit. Sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium. Dant ordine omnes fidem: consolantur ægram animi, avertendo noxam à coacta in auctorem delicti. *mentem peccare, non corpus:* & *unde consilium abfuerit, culpam abesse.* vos inquit, videritis quid illi debeatur. ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero, nec ullo deinde impudica Lucretiæ exemplo vivet.

Ex secundo libro ab urbe condita.

ORATIO.

P. VALERII PVBLICOLÆ ad populum de crimine sibi objecto.

ARGVMENTVM.

Mortuo Bruto, regnum affectare P. Valerium Bruti collegam fama tenebat, quod collegam in demortui locum non substituerat, in summaque Velia ædificaret. Is ea re cognita, submissu primum populo fascibus in concionem ascendit. Ibi habita primo funebri oratione de Bruti laudibus suspicionem in hanc sententiam sustulit.

NUNQUAMNE ergo, *ulla adeo à vobis spectata virtus erit, ut suspicione violari ne-*

queat

nequeat? Ego me illum accerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? Ego si in ipsa arce Capitolioque habitarem, metui me crederem posse à civibus meis? tam levi momento mea apud vos fama pendet? Adeone est fundata leviter fides, ut ubi sim, quam qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ; Quirites: tuta erit vobis Velia: Deferam non in planum modo ædes, sed colli etiam subjiciam: ut vos supra suspectum me civem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius quam P. Valerio creditur libertas.

ORATIO
MUTII SCÆVOLÆ ad Porsenam Clusinum Regem.

ARGUMENTUM.

Mutius Scævola indignum ratus ab Etruscis obsideri populum Romanum liberum, qui servus sub regibus à nullis hostibus obsessus fuisset impetrata venia à Senatu in hostium castra consilio regis Porsenæ interficiendi penetrat. Ibi ad regium tribunal consistens quum inter duos, uter Porsena esset, distinguere non posset, scribam regis pro Porsena obtruncat. Comprehensus per Satellites, regi consilium voluntatemque suam exponit.

ROMANUS sum civis: C. Mucium vocant. hostis hostem occidere volui. nec ad mortem minus animi est, quam ad cædem fuit. *Et facere & pati fortia, Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus* post me *ordo est idem petentium decus.* Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ. Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris. uni tibi, & cum singulis res erit.

ORATIO
MARTII CORIOLANI ad patres contra plebem & tribunos.

ARGVMENTVM.

Secessione plebis in Sacrum montem, factum erat, ut multis agris magna eo anno annonæ caritate laboraretur. Id quod patrum animos, copiaque frumenti recens advecti adversus plebem, præterquam quod jam ei infesta esset magistratuum nomine, qui Patriciis non patebant, etiam maxime concitavit, ut jam multis venisse tempus videretur recuperandi jura secessione ac vi patribus extorta. In iis Cn. Martius Coriolanus, quum in senatu deliberaretur quantum plebi frumenti daretur, his verbis sententiam peregit.

SI Annonam veterem volunt, ius pristinum reddant Patribus. Cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem pollentemque video sub jugum missus, tanquam à latronibus redemptus. Egone has indignitates diutus patiar, quam necesse est? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, avocet plebem, patet via in Sacrum montem, alioſque colles. rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum tertio anno rapuere, fruantur, utantur annona quam furore ſuo fecere. Audeo dicere, hoc malo, domitos ipſos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per ſeceſſionem coli prohibeant.

ORATIO.
ACTII TVLLII Volſcorum principis ad Conſules, ut ludis non adeſſent Volſci.

ARGVMENTVM.

Martius Coriolanus damnatus abſens velut indicta cauſa, in Volſcos exulatum abierat: ibi Actii Tullii Volſcorum longe Principis utebatur Hoſpitio. Iam

Iam consuetudo ipsa socios eos amicosque fecerat quum de bello Romano conferunt Consilia. Resque iam tum eo deducta erat ut Actius occasionem modo suos adversus Romanos concitandi quæreret. Tum forte ludi magni Romæ instaurabantur. Ad quos Actius Volsciique conveniunt. Is Actius ante nactus opportunitatem quam ludi committerentur, Consules, remotis arbitris, de suorum ingenio & natura alloquitur in hanc sententiam. Quæ omnia ad bellum iam animo conceptum pertinent.

INVITVS, quod sequius sit, de meis civibus loquor. Non tamen admissum quicquam ab iis criminatum venio, sed cautum, ne admittant. *Nimio plus quam velim* nostrorum *ingenia sunt mobilia, multis id cladibus sensimus.* Quippe qui non nostro merito, sed vestra patientia incolumes sumus. Magna hìc nunc Volscorum multitudo est. ludi sunt, spectaculo intenta civitas erit. Memini quid per eandem occasionem ab Sabinorum iuventute in hac urbe commissum sit. Horret animus, nequid inconsulto ac temere fiat. Hæc nostra vestraque causa, prius dicenda vobis, Consules, ratus sum Quod ad me attinet, extemplo hinc domum abire in animo est, ne cuius facti dictive contagione præsens violer.

ORATIO ACTII TVLLII ad suos, qua eos in Romanos concitat.

ARGVMENTVM.

Coniunctum est insequentis cum superioris argumento. Consules, quæ sine arbitris ab Actio acceperant, quum detulissent, senatus consulto facto Volsci omnes ante noctem ex urbe per præconem excedere iubentur. Quum aliquantum itineris extra urbem progressi essent, Actius indignitate rei

per se satis concitatos, hac quoque oratione inflammavit.

VETERES Populi Romani injurias, cladesque gentis *Volscorum*, ut omnia oblivisceamini alia, hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, quâ per nostram ignominiam ludos commisere? An non sensistis triumphatum hodie de vobis esse? Vos omnibus civibus peregrinis, tot finitimis populis, spectaculo abeuntes fuisse? Vestras conjuges; vestros liberos traductos per ora hominum? Quid eos, qui audivere vocem præconis? quid, qui vos videre abeuntes? quid eos, qui huic ignominioso agmini fuere obvii, existimasse putatis? nisi aliquod profecto nefas esse, quo, si interssimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculumque meriturí. ideo nos ab sede piorum, cœtu, concilioque abigi. Quid deinde? illud non succurrit, vivere nos, qui maturavimus proficisci? Sic hæc profectio, & non fuga est: & hanc urbem vos non hostium ducitis, ubi si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit? Bellum vobis indictum est magno illorum malo, qui indixere, si viri estis.

Ex tertio libro ab urbe condita.

ORATIO
Q. FABII AD TRIBUNOS PLEB. alios omnes præter Terrentillum.

ARGVMENTVM.

C. Terrentillus Arsa tribunus Pleb. absentibus consulibus longa oratione plebi consulare imperium invidiosum adeo effecerat, ut ipsi legem se promulgaturum profitenti, qua crearentur Quinqueviri legibus de imperio consulari scribendis, vehementer assentiretur. Senatus inde à præfecto urbis Q. Fabio vocatus, ubi atrociter in rogationem latoremque

latoremque invectus est primum, deinde his verbis tribunos de re ipsa convenit.

VOS cæteri tribuni, oramus, ut primùm omnium *cogitetis*, *potestatem* istam *ad singulorum auxilium, non ad perniciem universorum comparatam* esse; *tribunos plebis* vos *creatos, non hostes Patribus.* Nobis miserum, invidiosum vobis est desertam Rempub. invadi. non jus vestrum, sed invidiam minueritis. Agite cum collega ut rem integram in adventum *Consulum* differat. Ne Æqui quidem, ac Volsci, morbo absumptis priore anno consulibus, crudeli superboque nobis bello institere.

ORATIO.

AVLI VIRGINII TRIBVNI PLEB, ad plebem de Cæsonis arrogantia.

ARGVMENTVM.

Legem tulerat Terentillus tribunus Pleb. ut quod populus inse jus decisset, eo consul uteretur: quam patres impediebant. Quæ causa fuit ut tribuni delectum ad bellum haberi prohiberent. Coorta demum seditio est, ac rixa: quumque alia à patribus, alia à tribunis ad eam rem pertinentia jactata forent, Cæso juvenis ferox in medio patrum agmine tribunitios unus furores sustinebat. Aulus Virginius tribunus pleb. juvenis insolentia permotus, ei legi obstanti capitis die dicta, hac sententia superbiam plebi reddebat invidiosam.

QUID sentitis, jam vos, Quirites, Cæsonem simul civem, & legem quam cupitis, habere non posse? Quanquam quid ego legem loquor? libertati obstat; *omnes Tarquinios superbia exuperat.* Expectate dum consul aut dictator fiat, quem privatum viribus & audacia regnantem videtis.

ORATIO
P. VALERII PVBLICOLÆ consulis ad tribunos omnemque plebem.

ARGVMENTVM.

Exules servique arcem Romanam nocte ad magnum numerum duce App. Herdonio occupaverant. Quod ubi compertum fuit, reliquum noctis in armis Romani egerunt, ignari qui homines, quantusque numerus hostium esset. Postero die quum Herdonius consilium voluntatemque suam declaraſset, tum quoque tribuni pleb. non bellum illud, sed imaginem modo contendebant ad avertendos à legis cura plebis animos. Populos itaque ab armis discedere iubent. Quod cum Patribus nuntiatum esset, P. Valerius ex curia in templum ad tribunos veniens, de periculo cum iis primum, deinde cum plebe sic egisse fertur.

QVID hoc rei est, *Tribuni? Appii Herdonii* ductu & auspicio Rempub. everſuri estis? tam felix vobis corrumpendis fuit qui servitia vestra non commovit auctor? Quum hostes supra caput sint, discedi ab armis, legesque ferri placet? *Inde ad multitudinem oratione conversa*: Si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit; at vos veremini Deos Patrios ab hostibus captos. Jupiter optimus maximus, Juno regina, & Minerva, alii Dii Deæque obsidentur. Castra servorum publicos vestros penates tenent. Hæc vobis forma sanæ civitatis videtur? Tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum, curiamque: comitia interim in foro sunt: senatus in curia est: velut quum ocium superat, senator sententiam dicit: alii Quirites suffragium ineunt. Non quicquid patrum plebisque est consules, tribunos, Deos hominesque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domum Jovis optimi maximi decuit? *Romule* pater, tu

tu mentem tuam, quæ quondam arcem ab his iisdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ, jube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus exercitus est. Primus en ego consul, quantum mortalis Deum possum, te ac tua vestigia sequar.

ORATIO
L. QVINTII CINCINNATI ad populum adversus A. Virginium.

ARGUMENTUM.

Cæso, cui dictus capitis dies fuerat, in Tuscos exulatum, nequicquam amicis intercedentibus, abierat. Ejus pater L. Quintius Cincinnatus in sequenti anno consul creatus, non immemor filium, Aulo Virginii maximè invidia, in exilium relegatum esse Quiritibus eum hac concione invidiosum faciebat.

AULUS ille Virginius, quia in Capitolio non fuit, minus supplicii, quàm Ap Herdonius meruit? Plus herculè aliquanto, qui verè rem æstimare velit. Herdonius, si nihil aliud, hostem se fatendo, prope denunciavit ut arma caperetis: hic, negando bella esse, arma vobis ademit, nudosque servis vestris & exulibus obiecit. Et vos (cum C. Claudii pace, & P. Valerii mortui loquar) prius in clivum Capitolinum signa intulistis, quam hos hostes de foro tolleretis? Pudet Deorum hominumque; quum hostes in arce, in Capitolio essent, exulum & servorum dux profanatis omnibus in cella Jovis optimi maximi habitaret, Tusculi ante quàm Romæ sumpta sunt arma. In dubio fuit, utrum L. Mamilius Tusculanus dux, an P. Valerius, & C. Claudius consules Romanam arcem liberarent; & qui ante Latinos ne pro se quidem ipsis, quum in finibus, hostem haberent, attingere arma passi sumus; nunc nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, capti & deleti eramus. Hoc est, tribuni, auxilium plebi ferre?

inermen eam hosti trucidandum objicere? Scilicet, si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam partem, veluti abruptam à cætero populo vestram patriam peculiaremque Remp. feciſtis, ſiquis ex his domum ſuam obſeſſam à familia armata nunciaret, ferendum auxilium putaretis. Jupiter optimus maximus, exulum atque ſervorum ſeptus armis, nulla humana ope dignus erat? & *hi poſtulant, ut ſacroſancti habeantur, quibus ipſi dii neque ſacri, neque ſancti ſunt?* At enim divinis humaniſq; obruti ſceleribus, legem vos hoc anno perlaturos dictitatis? Tum hercule illo die quo ego conſul ſum creatus, malè geſta Reſpub. eſt, pejus multo quàm quum P. Valerius conſul periit, ſi tuleritis. Jam primum omnium, Quirites, in Volſcos & Æquos mihi atque collegæ legationes ducere, in animo eſt. Neſcio quo fato, magis bellantes quam pacati propitios habemus Deos. Quantum periculum ab illis populis fuerit, ſi Capitolium ab exulibus obſeſſum ſciſſent, ſuſpicari, de præterito quàm re ipſa experiri, eſt melius.

ORATIO
L. Q. CINCINNATI ejuſdem adverſus patrum licentiam.

ARGUMENTUM.

Contentiones inter patres ac populum ortæ erant de magiſtratibus, an exacto tempore iis deſtinato continuari, an comitia iiſdem creandis haberi deberent. Ac quum tribuni de lege Terentilla ante referre vellent, conabantur impedire quominus comitia haberentur à conſulibus. Senatus ea de re in Capitolio habitus: quo tribuni cum plebe perterrita conveniunt. De plebis & tribunorum poſtulatis relatione conſulum ſenatuſconſulta facta, ut eo anno tribuni legē non ferrent, conſules ab urbe copias non educerent. Magiſtratus continuari, & tribunos refici,

refici, judicant contra Remp. esse. Contra sententiam eam senatus, tribuni primum refecti: deinde patres, ne plebi cedere viderentur, L. Q. Cincinnatum consulem reficiebant, quum in patres hac oratione invectus est.

MIRER, si vana vestra, P. C. ad plebem authoritas est? Vos elevatis eam, quippe quia plebs senatusconsultum in continuandis magistratibus solvit, ipsi quoque solutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis: *tanquam id sit plus posse in civitate, plus levitatis ac licentiæ habere. levius enim vanusque profecto est, sua decreta & consulta tollere, quam aliorum.* Imitemini, P. C., turbam inconsultam: & *qui exemplo alii esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius, quàm alii vestro recte faciant*; dum ego, ne imiter tribunos, nec me contra senatusconsultum consulem renuntiari patiar. Te verò, C. Claudi, adhortor, ut & ipse pop. Roman. hac licentia arceas: & de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, ut non honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, invidiamque, quæ ex continuato eo impenderet, levatam putem.

ORATIO

ICILII ADVERSUS APPII decretum, ut sponsa extra domum paternam maneret.

ARGUMENTUM.

Virginius exempli recti vir, in Algido vitam ducens, Icilio cuidam filiam insigni forma desponderat. Ejus stuprandæ libidine captus Appius Claudius decemvir, *ubi nec precibus nec muneribus pudorem virginis vinci posse intellexit, M. Claudio clienti dat negotium, ut Virginiam in servitutem assereret, nec cederet secundum libertatem vindicias dari postulantibus. Serva enim sua eam natam diceret. Comprehensa ea, quum tandem ad*

tribunal Appii adducta, in patris adventum (nam ab urbe aberat) extra patris domum abduci juberetur: forte Icilius ſponſus interveniens, decreto Appii in hanc ſententiam reſiſtebat.

FERRO hinc tibi ſummovendus ſum, Appi, ut tacitum feras, quod celari vis. Virginem ego hanc ſum ducturus, nuptam pudicamque habiturus. Proinde omnes collegarum quoque lictores convoca, expedire virgas & ſecures jube: non manebit extra domum patris ſponſa Icilii. Non, ſi tribunitium auxilium, & provocationem plebi Romanæ duas arces libertatis tuendæ, ademiſtis: *ideo in liberos quoque noſtros conjugeſque regnum veſtræ libidini datum eſt. Sævite in tergum, & in cervices noſtras, pudicitia ſaltem in tuto ſit.* Huic ſi vis afferetur, ego præſentium Quiritium pro ſponſa, Virginius militum pro unica filia, omnes Deûm hominumque implorabimus fidem: neque tu iſtud unquam decretum ſine cæde noſtra referes. Poſtulo, Appi, etiam atque etiam conſideres, quo progrediare. Virginius viderit de filia, ubi venerit, quid agat. Hoc tantum ſciat, ſibi, ſi huius vindiciis ceſſerit, conditionem filiæ quærendam eſſe. *Me vindicantem ſponſam in libertatem, vita citius deſeret, quam fides.*

ORATIO
VIRGINII PATRIS adverſus Appium.

ARGVMENTVM.

Huius principium ad finem ſuperioris pertinet, Vindicatio Virginiæ in poſterum diem dilata. Virginium partem interim parentes propere acciri jubent ex caſtris: qui quum decretis vindiciis ſecundum ſervitutem, ab aſſertore M. Claudio filiam comprehendi videret, ira conciatus manus in Appium intentans his verbis eum increpit.

Icilio

ICILIO, Appi, non tibi filiam despondi & ad nuptias non ad stuprum educavi. *Placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere?* Passurine hæc isti sint, nescio, non spero esse passaros illos qui arma habent.

ORATIO
VIRGINII ad MILITES, qua honorem sibi delatum recusavit.

ARGVMENTVM.

Quum Romæ libidinis Appii fœdo exitu omnia perturbata essent, Virginius in castra quæ tum in monte Vero illo erant, rerum eventu permotus venit. Ibi militibus ordine, ut quidque gestum erat, re exposita, ostentans ferrum quo Virginiam filiam transfixisset, omnia motu complevit. Rei atrocitate milites commoti, in Aventinum proficiscuntur: ubi Virginius, quum decem creari debere censeret qui summæ rerum præessent, consilio sententiaque approbata, omnes ad eum primùm potestatem deferebant, quam ita recusasse fertur.

MELIORIBUS meis vestrisque rebus reservate ista de me judicia. Nec mihi filia in vita honorem ullum jucundum esse patitur, *nec* in perturbata Repub. eos *utile est præesse vobis, qui proximi invidiæ sint.* si quis usus mei est, nihilo minor ex privato capietur.

ORATIO.
SENIORUM PATRUM ad patres & decemviros de decemviratus abdicatione, & tribunatus pleb. instauratione.

ARGUMENTUM.

Hoc ad finem prioris pertinet. Ex Aventino in Sacrum montem non ita multo post transit plebs tota, authore M. Duillio, qui tribunus pleb. fuerat: ob

idque

idque maxime quod diutius paſſuri non eſſent tribunatum abrogatum, Quod ubi Romam nunciatum fuit, extemplo in ſenatum patres conveniunt, ubi de re ipſa conſultarent. Eorum multi (in quibus Horatius & Valerius) in hunc modum vociferabantur.

QUID exſpectabitis P. C. Si *Decemviri* finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia paſſuri eſtis? Quod autem iſtud imperium eſt, Decemviri, quod amplexi tenetis? Tectis ac parietibus jura dicturi eſtis. Non pudet lictorum veſtrorum majorem propè numerum in foro conſpici, quàm togatorum aliorumque? quid, ſi hoſtes ad urbem veniant facturi eſtis? Quid ſi plebs mox, ubi parum ſeceſſione moveamur, armata veniat? Occaſúne urbis vultis finire imperium; Atqui aut plebs non eſt habenda, aut habendi ſunt tribuni plebis. Nos citius caruerimus patriciis magiſtratibus, quam illi plebejis. Novam inexpertamque eam poteſtatem eripuere patribus noſtris, ne nunc dulcedine ſemel capti, ferant deſiderium, quum præſertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant.

ORATIO LEGATORVM VALERII & HORAT. ad poſtulata plebis in Sacro monte.

ARGUMENTUM.

Decemvirorum maxime culpa plebs in Aventinum primùm, deinde in ſacrum montem ſeceſſerat, quod finito imperii tempore abire magiſtratu nollent. Is, ſeditionibus tumultibuſque coacti, quum ſe in patrum poteſtate futuros prædicarent, miſſi Horatius & Valerius in Sacrum montem ad plebem, conditionibus quibus videretur revocandam. Multitudo ipſa, quum tribunitiam poteſtatem & provocationem ſe repetere velle diceret, tum demum in hanc ſententiam de poſtulatis legati loquuti ſunt.

ADEO

ADEO æqua poſtulaſtis, ut ultrò vobis deferenda fuerint. *Libertati* enim ea *præſidia* petitis, *non licentiæ* ad impugnandum alios. *Iræ veſtræ magis ignoſcendum quàm indulgendum eſt.* quippe qui *crudelitatis odio in crudelitatem ruitis* : & prius penè quàm ipſi liberi ſitis dominari jam in adverſarios vultis. Nunquamne quieſcet civitas noſtra à ſuppliciis, aut patrum in plebem Romanam, aut plebis in patres? Scuto vobis magis, quàm gladio opus eſt. *Satis ſuperque humilis eſt, qui jure æquo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo* etiam. Si quando metuendos vos præbituri eſtis, quum recuperatis magiſtratibus legibuſque veſtris, judicia penes vos erunt, de capite noſtro fortuniſque tunc, ut quæque cauſa erit, ſtatuetis: hunc libertatem repeti, ſatis eſt.

ORATIO

APPII, DUM MAGISTRATU ſe abdicare vellet.

ARGUMENTUM.

Legati mandata plebis quum patribus expoſuiſſent, decemviri omnes præter Appium non abnuebant quin magiſtratum deponerent. Unus itaque Appius perſtabat, qui tandem pudore coactus, in hæc verba, ſe velle abire decemviratu, profeſſus eſt.

HAVD ignaro imminet fortuna. Video donec arma adverſariis tradantur, differri adverſus nos certamen. dandus invidiæ eſt ſanguis. *Nihil* ne ego quidem *moror quo minus* Decemviratu *abeam.*

ORATIO

ORATIO
LEGATORUM AD PLEBEM
ut in urbem rediret.

ARGUMENTUM.

Quum ingenti omnium lætitia magistratu abiissent decemviri, missi sunt legati qui plebi omnia quæ gesta erant, exponerent, interque alia monerent ut ad patriam rediret. Ii ad hanc sententiam egerunt.

QUOD bonum, fœlix, fauſtumque ſit vobis, reique publicæ, redite in patriam ad penates, conjuges, liberoſque veſtros. Sed qua hîc modeſtia fuiſtis, ubi nullius ager in tot uſu rerum neceſſario tantæ multitudini eſt violatus, eam modeſtiam ferte in urbem. In Aventinum ite, unde profecti eſtis. Ibi felici loco, ubi prima initia inchoaſtis libertatis veſtræ, tribunos plebis creabitis. Præſto erit pontifex maximus, qui comitia habeat.

ORATIO
A. VIRGINII adverſus Appium reum.

ARGVMENTVM

Creati tribuni pleb. confirmata lege de provocatione, ſingulos aggrediuntur, qui facinus aliquod adhuc impune auſi fuerant. Deligunt primum A. Virginium tribunum pleb. accuſatorem: Appium, qui decemvir fuerat, reum: Accuſator ſic adverſus reum egit.

ORATIO *rebus dubiis inventa eſt.* Itaque neque ego accuſando apud vos eum tempus teram, à cujus crudelitate voſmet ipſos armis vindicaſtis: nec iſtum ad cætera ſcelera impudentiam in defendendo ſe adjicere patiar. *Omnium* igitur tibi, Appi Claudi, quæ impie nefarieque per biennium alia ſuper alia es auſus, *gratiam facio.* Unius tan-

tantum criminis, ni judicem vim dices te, ab libertate, in ſervitutem contra leges vindicias non dediſſe, in vincula te duci jubeo.

ORATIO
M. DVILLII TRIBVNI PLEB. Quum poteſtati tribunitiæ modum feciſſet.

ARGVMENTVM.

Ingenti jam metu patres perculſi erant, quod tribuni pleb. in judiciis, quibus jam Ap. Claudium & Sp. Oppium in vincula conjecerant, C. Claudium in exilium miſerant, longè ſeveriores quàm decemviri viderentur. M. Duillius tribunus pleb. quum id comperiſſet, patres in hanc ſententiam ad ſpem libertatis revocare conabatur.

ET libertatis noſtræ, & pœnarum ex inimicis ſatis eſt. Itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quenquam ſum paſſurus. Nam neque vetera peccata repeti jam obliterata placet, quum etiam nova expiata ſint Decemvirorum ſuppliciis: & nihil admiſſum iri, quod vim Tribunitiam deſideret, ſpondet perpetua conſulum amborum in libertate veſtra tuenda cura.

ORATIO.
VALERII CONSULIS, qua equites ad fortiter pugnandum hortatur.

ARGVMENTVM.

Valerius Conſul adverſus conjunctos jam in Algido exercitus Æquorum & Volſcorum bellum ſuſtinebat. Caſtris jam tantiſper copias continuerat, dum pars hoſtium in Hernicos, pars in Latinos, jam prope de victoria certi ad prædam agendam contendiſſent: quum ſigna inferri jubet. Quo bello pedites multo ſermone adhortatus ad egregie pugnandum, equites his verbis incitavit.

AGITE

AGITE juvenes, *præstate virtute* peditem ut *honore atque ordine præstatis*. Primo concursu pedes movit hostem, pulsum vos immissis equis exigite è campo. Non sustinebunt impetum, & nunc *cunctantur magis quam resistunt*.

ORATIO

HORATII CONSVLIS qua suos cohortatur.

ARGVMENTVM.

De victoria Valerii contra Volscos atque Æquos factus certior Horatius collega Valerii, in hanc sententiam milites ad strenue pugnandum adversus Sabinos adhortabatur.

QVEMADMODVM in Algido res gesta sit, arbitror vos milites audisse. Qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis fuit, Consilio collegæ, virtute militum victoria parta est. Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos milites mihi effeceritis. Et trahi bellum salubriter, & maturè perfici potest. Si trahendum est: ego, ut in dies spes virtusque vestra crescat, eadem qua instituti disciplina efficiam. Si jam satis animi est decernique placet, agitedum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hic, indicem voluntatis virtutisque vestræ.

ORATIO

T. Q. CAPITOLINI quartum Consulis ad populum Romanum.

ARGVMENTVM.

Discordiis civium, quæ jam non ultrà reprimi poterant, fiebat ut conciones etiam de qualibet re fieri impederentur. Quod postea quam Æquis Volsciisque compertum fuit, conjunctis exercitibus, primum agros circa omnes vastabant: deinde quum Romanos id etiam negligere vidissent, ad mœnia Vrbis popu-

populabundi acceſsere. Tum Q. Capitolinus, concione populi vocata, hac oratione periculi magnitudinem reique indignitatem expoſuit.

ETSI mihi nullius noxæ conſcius, Quirites, ſum, tamen cum pudore ſummo in concionem veſtram proceſſi; Hoc vos ſcire, hoc poſteris memoriæ traditum iri, Æquos & Volſcos, vix Hernicis modò pares, T. Quintio quartùm conſule ad mœnia urbis Romæ impunè armatos veniſſe. Hanc ego ignominiam (quanquam jamdiu ita vivitur; *is ſtatus rerum eſt, ut nihil boni divinet animus*) ſi huic potiſſimum imminere anno ſciſſem, vel exilio, vel morte, (ſi alia fuga honoris non eſſet) vitaſſem. Ergo ſi viri arma illa habuiſſent quæ in portis fuêre noſtris, capi Roma (me conſule) potuit? ſatis honorum, ſatis ſuperque vitæ mori fuit tertium conſulem oportuit. Quem tandem ignaviſſimi hoſtium contempſere? nos conſules. an vos, Quirites? Si culpa in nobis eſt, auferte imperium indignis: & ſi id parum eſt, inſuper pœnas expetite. Si in vobis, nemo Deorum nec hominum ſit, qui veſtra puniat peccata, Quirites, voſmet tantum eorum pœniteat. Non illi veſtram ignaviam contempſere, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt; quippe toties fuſi, fugatique, caſtris exuti, agro mulctati, ſub jugum miſſi, & ſe & vos novere. *Diſcordia ordinum eſt venenum urbis hujus.* Patrum & plebis certamina; dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis eſt modus, dum tædet vos patriciorum, nos plebejorum magiſtratuum, ſuſtulere illi animos. Pro Deûm fidem, quid vobis vultis? Tribunos pleb concupiſtis: concordiæ cauſa conceſſimus. Decemviros deſideraſtis. creari paſſi ſumus. Decemvirorum vos pertæſum eſt. coegimus abire magiſtratu Manente in eoſdem privatos ira veſtra, mori atque exulare nobiliſſimos viros honoratiſſimoſque paſſi ſumus. Tribunos plebis iterum creare voluiſtis: creaſtis. Conſules facere veſtrarum partium, et ſi partibus videbamus

bamus iniquum, patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus. Auxilium tribunitium, provocationem ad populum, scita plebis injuncta patribus sub titulo æquandarum legum nostra iura oppressa tulimus, & ferimus. Qui finis erit discordiarum? ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc patriam esse licebit? *Vicit nos æquiore animo quiescimus, quàm vos victores*, Satisne est, nobis vos metuendos esse? Adversus nos Aventinum capitur, adversus nos Sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste prope captas, & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submovit; in nos viri, in nos armati estis. Agitedum, ubi hic curiam circumsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerem impleveritis principibus; iisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam: aut si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros, ferro ignique vastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. At enim *communis res per hæc loco est peiore*: ager uritur, urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem privatæ res vestræ quo in statu sunt? Jam unicuique ex agris sua damna nuntiabuntur. Quid est tandem domi, unde ea expleatis? Tribuni vobis amissa reddent ac restituent? Vocis verborumque quantum voletis, ingerent, & criminum in principes & legum aliarum super alias, & concionum. Sed ex illis concionibus nunquam vestrûm quisquam te fortunaque domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad conjugem & liberos, præter odia, offensiones, simultates publicas privatasque? à quibus semper non vestra virtute innocentiaque, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules, quum stipendia nobis consulibus, non tribunis ducibus, & in castris, non in foro faciebatis: & in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant, præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum, gloriæque simul publicæ,

blicæ, simul privatæ, triumphantes domum ad penates redibatis : nunc onerarum vestris fortunis hostem abire finitis. Hærete affixi concionibus, & in foro vivite *sequitur vos necessitas militandi quam fugitis.* Grave erat in Æquos & Volscos proficisci? ante portas est bellum. Si inde non pellitur, jam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium scandet, & in domos vestras vos persequetur. Biennio ante seratus delectum haberi, & educi exercitum in Algidum jussit. sedemus domi desides, *mulierum ritu inter nos altercantes*, præsenti pace læti, nec cernentes *ex otio* illo *brevi multiplex bellum rediturum.* His ego gratiora dictu alia esse scio : sed me *vera pro gratis loqui*, etsi *meum ingenium* non moneret, necessitas cogit. *Vellem* equidem *vobis placere.* Quirites sed *multo malo vos salvos esse*; *qualicunque erga me animo futuri* estis. *Natura hoc ita comparatum est, ut qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit cuius mens nihil præter publicum commodum videt* : nisi forte assentatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis, nec in otio esse sinunt, vestra vos causa incitare & stimulare putatis. Concitati, aut honori aut quæstui illis estis : & quia in concordia ordinum nullos se usquam esse vident, *malæ rei* se *quàm nullius*, turbarum ac seditionum, *duces* esse volunt. Quarum rerum si vos tædium tandem capere potest, & patrum vestrosque antiquos mores vultis pro his novis sumere, nulla supplicia recuso, nisi paucis diebus hos populatores agrorum nostrorum fusos fugatosque castris exuero, & à portis nostris mœnibusque ad illorum urbes hunc belli terrorem, quo vos nunc attoniti estis, transtulero.

Ex quarto libro ab urbe condita

ORATIO

C. CANVLEII TRIBVNI PLEB. ad plebem pro rogationibus promulgatis.

ARGUMENTUM.

C. Canuleius tribunus pleb. cæterique octo, anni principio rogationes promulgaverunt de connubio patrum & plebis, ut alter consulum ex plebe fieret. Ac tantum aberat ut utrumlibet patres approbarent, ut etiam, si hoc fieret, transferri à primoribus ad plebem summam imperii, illo contaminari sanguinem suum, confundique jura gentium, verentur. Quum ita sententiis variaretur, forte Veientes aliique populi arma sumpserant adversus Romanos: contra quos quum delectum haberi patribus placeret Canuleius unus adversus omnes delectum haberi se nunquam prius passurum pronuntiabat, quàm rata confirmataque essent quæ à se collegisque fuissent promulgata. Qua de re consules ad patres in senatu, adversus tribunos pleb. maxime Canuleium, concionem habuerunt: quo tempore & Canuleius hac concione plebem adversus patres concitabat.

QVANTOPERE vos Quirites, contemnerent Patres, quàm indignos ducerent, qui una secum urbe intra eadem mœnia viveretis, sæpe equidem & antè videor animadvertisse: nunc tamen maximè, quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt. Quibus quid aliud quam admonemus cives nos eorum esse? & si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus quod finitimis externisque dari solet. nos quidem civitatem, quæ plus quam connubium est, hostibus etiam victis dedimus. Altera nihil novi ferimus, sud id, quod populi est, repetimus atque usurpamus: ut quibus velit, populus

pulus Romanus honores mandet. Quid tandem est, cur cœlum ac terras misceant? cur in me impetus modo penè in senatu sit factus? negent se manibus temperaturos, violaturosque denuntient sacrosanctam potestatem? Si populo Romano liberum suffragium datur, ut quibus velit, consulatum mandet, & non præciditur spes plebejo cuique, si dignus summo honore erit, adipiscendi summi honoris, stare urbs hæc non poterit? de imperio actum est? Et perinde hoc valet, Plebejus ne consul fiat, tanquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat? Ecquid sentitis in quanto contemptu vivatis? Lucis vobis hujus partem, si liceat, adimant: *quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formam hominum habetis, indignantur.* Quin etiam (si Diis placet) nefas ajunt esse consulem plebejum fieri. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur; ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum successisse: nec aut juris aut majestatis quicquam habere, quod non in regibus ante fuerit? En unquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium, non modo non patritium, sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro fuisse accitum populi jussu, patribus auctoribus Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium non modo non Romanæ, sed nec Italicæ quidem gentis Demarati Corinthii filium, incolam à Tarquiniis, vivis liberis Anci, regem factum? *Servium Tullium* post hunc captiva Corniculana natum, *patre nullo*, matre serva, *ingenio & virtute regnum tenuisse?* Quid enim de T. Tatio Sabino dicam? quem ipse Romulus parens urbis in societatem regni accepit. Ergo *dum nullum fastiditur genus, in quo emineret virtus, crevit imperium Romanum.* Pœniteat nunc vos Plebeji consulis, quum majores nostri advenas reges non fastidierint: & ne regibus quidem exactis clausa urbs fuerit peregrinæ

næ virtuti. Claudiam certè gentem, post reges exactos, ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum. Ex peregrinone patricius, deinde consul fiat? civis Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Utrum tandem non credimus fieri posse ut vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus, ex plebe Numæ sit, Lucio Tarquinio, Servio Tullio similis? An, ne si sit quidem, ad gubernacula Reipublicæ accedere eum patiemur; potiusque decemviris, deterrimis mortalium, qui tum omnes ex patribus erant, quam optimis regum, novis hominibus similes consules sumus habituri? At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid postea? nullane res nova instituì debet? & quod nondum est factum, (multa enim nondum sunt facta in novo populo) ea, ne si utilia quidem sint, fieri oportet? Pontifices, augures, Romulo regnante nulli erant; ab Numa Pompilio creati sunt. Census in civitate, & descriptio centuriarum classiumque non erat; ab Servio Tullio est facta. Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt. Dictatoris nec imperium, nec nomen fuerat: apud patres esse cœpit. Tribuni plebis, ædiles, quæstores nulli erant: institutum est ut fierent. Decemviros legibus scribendis intra decem hos annos & creavimus & è republica sustulimus. Quis enim dubitat, quin in æternum urbe condita & in immensum crescente, nova imperia, sacerdotia, jura gentium hominumque, instituantur? Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemviri tulerunt paucis hic annis, pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? An esse ulla major, aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent, ne

societur sanguis. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi; sinceram servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororesque enubere sinendo è patribus? Nemo plebejus patriciæ vim virgini afferret, patriciorum ista libido est. nemo invitum pactionem nuptialem quenquam facere coegisset. Verumenimvero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non confertis, ne sit connubium cum divitibus ac pauperibus? Quod privatorum consiliorum ubique semper fuit, ut in quamcumque fœmina conveniisset domum, nuberet; ex qua pactus esset vir domo in matrimonium duceret: id vos sub legis superbissimæ vincula conjicitis, qua dirimatis societatem civilem, duasque ex una civitate faciatis. Cur non sancitis ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem consistat? Quid enim in re est aliud? si plebeiam patricius duxerit, si patriciam plebeius, quid juris tandem mutatur? nempe patrem sequuntur liberi. nec quod nos ex connubio vestro petamus, quicquam est; præterquam ut hominum ut civium numero simus: nec vos (nisi in contumeliam ignominiamque nostram certare iuvat) quod contendaris quicquam est. Denique, utrum tandem populi Romani an vestrum summum imperium est? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est? Oportet licere populo Romano, si velit, iubere legem? an ut quæque rogatio promulgata erit vos delectum pro pœna decernetis? & simul ego tribunus vocare tribus in suffragium cœpero, tu statim consul sacramento iuniores adiges & in castra educes? & minaberis

plebi

plebi, minaberis tribuno? Quid si non, quantum istæ minæ adversus plebis consensum valerent, bis jam experti esse.is? scilicet quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuistis. an ideo non est dimicatum, quod quæ pars firmior, eodem modestior fuit? Nec nunc erit certamen, Quirites, animos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista, seu vera seu falsa sunt, consules, parata vobis plebs est, si connubiis redditis, unam hanc civitatem tandem facitis, si coalescere, si jungi, miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt: si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate Reipub. esse, si quod æque libertatis est, invicem annis magistratibus parere, atque imperitare licet. Sin hæc impediet aliquis; ferte sermonibus, & multiplicate fama bella; nemo nomen est daturus, nemo arma capturus: nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in republica honorum, nec in privata connubii societas est.

ORATIO

VECTII MESSII Volscorum regis, qua suos adhortatur.

ARGVMENTVM.

In Algidum convenerant Æqui Volscique, ubi partis copiis, Romanos, si venirent, observabant. Romani venientes, hostium exemplo binis castris loca diversa brevi spatio inter se distantia capiunt. Nocte tandem, post multa variaque levia certamina, hostes Romanorum adoriuntur castra: quibus à Romanis magna celeritate atque prudentia obstatum est. At quum jam aperte ad Romanos res ipsa inclinare videretur, tum demum Vectius Messius rex Volscorum ad suos transit, ad resistendum in hæc verba adhortaturus.

HIC

HIC præbituri vos telis hostium estis indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis, *in otio tumultuosi, in bello segnes?* Quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos, rapturumque hinc putatis? *Ferro via facienda est.* Hac qua me prægressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, conjuges, liberosque estis, ite mecum. Non murus, nec vallum, sed armati armatis obstant. *Virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.*

ORATIO

MAMERCI ÆMILII dictatoris, qua suos inusitato certamine exterritos exhortatur.

ARGUMENTUM.

Fidenatibus Romanis rebellare, accitis Vejentibus belli sociis, placebat: itaque Vejentes exercitum suum Fidenas communi consilio belli sedem captas ducunt. Eò contendunt & Romani: qui jam primo statim congressu hostes contuderunt, quum repente patefactis Fidenatum portis nova erumpens acies, quæ facibus ardentibus tota collucebat, nova specie ipsis terrorem intulit. Quod Mamercus Æmilius dictator animadvertens, suos his verbis accendebat ad prælium redintegrandum.

FUMO nè victi, velut examen apum, loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? non ferro extinguetis ignes? non faces has ipsas pro se quisque, si igni, non telis pugnandum est, ereptas ultro inferetis? Agite, nominis Romani & virtutis patrum vestræque memores, vertite incendium hoc in hostium urbem: & suis flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis. Legatorum hoc vos vestrorum, colonorumque sanguis, vastatique fines monent.

ORATIO
SEXTI TEMPANII Decurionis, qua milites in re complorata adhortatur.

ARGVMENTVM.

Sextus Tempanius Decurio erat militum. is quum res Romana, bello Volſcorum, temeritate Sempronii conſulis eo recidiſſet, ut jam cæſis magna ex parte militibus, qui ſupererant, jam pararent ſeſe fugæ mandare: voce magna exclamans ut equites ex equis deſilirent qui ſalvam Remp. vellent, omnium turmarum equites non ſecus quam ſi conſul edixiſſet, motos hac voce monebat.

NISI hæc armata cohors ſiſtat impetum hoſtium, actum de imperio eſt. Sequimini pro vexillo cuſpidem meam. oſtendite Romanis Volſciſque neque equitibus vobis ullos equites, nec peditibus eſſe pedites dares.

ORATIO.
L. DECII TRIBVNI PLEB. ad populum adverſus M. Poſthumium tribunum militum.

ARGVMENTVM.

M. Poſthumio Regillenſi tribuno militum bellum adverſus Æquos permiſſum erat. Is fractis hoſtium animis, quum in hoſtium oppidum irrupiſſet, bellum in cives convertens, prædam militis fore edicit. Capto oppido, fidem mutat. Poſtea in urbem à collegis accerſitus, quum. M. Feſtius tribunus pleb. laturum ſe legem diceret ut Volas coloni mitterentur: Malum militibus meis (inquit) niſi quieverint. Qua voce quum populum patreſque offendiſſet: L. Decius tribunus pleb. in majus eum odium & invidiam populi, arrepta occaſione ex voce illa, vocat.

AUDITIS, Quirites, ſicut ſervis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis

vobis tanto honore videbitur, quàm qui vos urbe agrisque donatos in colonias mittunt, qui *sedem senecluti vestræ prospiciunt*, qui pro vestris commodis adversus tam crudeles superboſque adversarios depugnant. Incipite deinde mirari, cur pauci jam vestram susciplant causam. quid à vobis sperent? an honores? quos adversariis potius quàm Populi Romani propugnatoribus datis. Ingemuistis modo voce hujus audita. quid id refert? jam si suffragium detur, hunc qui malum vobis minatur, iis qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, præferetis.

Ex quinto libro ab urbe condita.

ORATIO
APPII CLAUDII Tribuni militum ad populum contra Tribunos pleb. pro bello continuando.

ARGVMENTVM.

Hibernacula militibus tum, primò ad continuandum etiam hyeme bellum fieri cœpta erant, quum imperatores Romani se obsidendo quam oppugnando sperarent Resp. melius consulturos. Perlata ea res Romam, tribunos pleb. permoverat, qui primo quoque tempore plebi quid ea re efficeretur exponunt, ita plebis libertatem vendi iactando: illudque eo institutum, ut quum ii in quibus vires omnes plebis erant, abfuissent, agi de commodis ipsius non posset. His aliisque jam plebis animos tribuni solicitarant, quum Appius Claudius tribunus militum plebe convocata pro bello continuando, continendisque militibus in hybernaculis, contra tribunos pleb. hanc concionem habuit.

SI unquam dubitatum est, Quirites, utrum tribuni pleb. vestra an sua causa seditionum semper auctores fuerint, id ego hoc anno desiisse dubitari

certum habeo. Et quum lætor tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum quod secundis potissimum vestris rebus hic error est sublatus, & vobis, & propter vos Reipublicæ gratulor. An est quisquam qui dubitet nullus injuriis vestris (si quæ fortè aliquando fuerunt) unquam æquè, quam munere patrum in plebem quum æra militantibus constituta sunt, trib. pleb. offensos ac concitatos esse? Quid illos aliud aut tum timuisse creditis, aut hodie turbare velle, nisi concordiam ordinum, quam dissolvendæ maximè tribunitiæ potestatis rentur esse? Sic hercule, *tanquam artifices improbi, opus quærunt*, qui *& semper ægri aliquid esse in Repub. volunt, ut sit ad cujus curationem à vobis adhibeantur.* Utrum enim defenditis, an impugnatis plebem? utrum militantium adversarii estis, an causam agitis? Nisi fortè hoc dicitis, quicquid patres faciunt, displicet: sive illud pro plebe, sive contra plebem est. Et quemadmodum servis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse, pariterque in iis beneficio ac maleficio abstineri, æquum censent; sic vos interdicitis patribus commercio plebis: ne nos comitate ac munificentia nostra provocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit. Quanto tandem, si quicquam in vobis, non dico civilis, sed humani esset, favere vos magis, & quantum in vobis esset, indulgere potius comitati patrum atque obsequio plebis oportuit? quæ si perpetua concordia sit, quis non spondere ausit, maximum hoc imperium inter finitimos brevi futurum esse? Atque ego, quum hoc consilium collegarum meorum, quo abducere infecta re à Vejis exercitum noluerunt, non utile solum, sed etiam necessarium fuerit, postea edisseram. Nunc de ipsa conditione militantium dicere libet. Quam orationem, non apud vos solùm, sed etiam in castris si habeatur, ipso exercitu disceptante, æquam arbitror

bitror videri posse, in qua si mihi ipsi nihil quod dicerem, in mentem venire posset, adversariorum certè orationibus contentus essem. Negabant nuper danda esse æra militibus, quia nunquam data essent. quonam modo igitur nunc indignari possunt, quibus *aliquid novi adjectum commodi sit*, eis *laborem etiam novum pro portione* injungi? *Nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa opera est. Labor voluptasque, dissimillima natura, societate quadam inter se naturali sunt juncta.* Molestè antea ferebat miles, se suo sumptu operam Reipub. præbere: gaudebat idem partem anni se agrum suum colere, quærere unde domi militiæque se ac suos tueri posset. Gaudet nunc fructui sibi Rempub. esse, & lætus stipendium accipit. Æquo igitur animo patiatur se ab domo, ab re familiari, cui gravis impensa non est, paulo diutius abesse. An si ad calculos eum Respub. vocet, non merito dicat, Annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum censes militia semestri solidum te stipendium annuum accipere? Invitus in hac parte orationis, Quirites, moror: Sic enim agere debent qui mercenario milite uruntur, at nos tanquam cum civibus agere volumus: agiq; tanquam cum patria nobiscum, æquum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit: aut geri pro dignitate populi Romani, & perfici quamprimum oportet. Perficietur autem, si urgemus obsessos, si non ante abscedimus, quàm spei nostræ finem, captis Vejis, imposuerimus. Si, hercule, nulla alia causa, ipsa indignitas perseverantiam imponere debuit. Decem quondam annos urbs oppugnata est ob unam mulierem ab universa Græcia: quàm procul ab domo? quot terras, quot maria distans? Nos intra vicesimum lapidem, in conspectu prope urbis nostræ annuam oppugnationem perferre piget. Scilicet, quia levis causa belli est; nec satis quicquam justi doloris est, quod nos ad

perſeverandum ſtimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquam fidi fuerunt: agros noſtros milites depopulati ſunt: Fidenates deficere à nobis coëgerunt: colonos noſtros ibi interfecerunt: auctores fuerunt contra ius gentium cædis impiæ legatorum noſtrorum: ac Etruriam omnem adverſus nos concitare voluerunt, hodieque id moliuntur: res repetentes legatos noſtros *haud procul abfuit quin* violarent. Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si vos tam juſtum odium nihil movet, ne illa quidem, oro, vos movent? Operibus ingentibus ſepta urbs eſt, quibus intra muros coërcetur hoſtis agrum non coluit, & culta evaſtata ſunt bello. Si reducimus exercitum, quis eſt qui dubitet illos, non à cupiditate ſolùm ulciſcendi, ſed etiam neceſſitate impoſita ex alieno prædandi, quum ſua amiſerint, agrum noſtrum invaſuros? Non differimus igitur bellum iſto conſilio, ſed intra fines noſtros accipimus. Quid? illud quod propriè ad milites pertinet, quibus boni tribuni pleb. quum ſtipendium extorquere voluerint, nunc conſultum repentè volunt, quale eſt? Vallum foſſamque, ingentis utramque rem operis, per tantum ſpatii duxerunt: caſtella primò pauca, poſtea exercitu aucto creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modò, ſed in Etruriam etiam ſpectantes, ſi qua inde auxilia veniant, oppoſuere. Quid turres, quid vineas, teſtudineſque, & alium oppugnandarum urbium apparatum, loquar? quum tantum laboris exhauſtum ſit, & ad finem jam operis tandem perventum. Relinquendane hæc cenſetis, ut ad æſtatem rurſus novus de integro his inſtituendis exſudetur labor? Quanto eſt minus opera tueri facta, & inſtare, & perſeverare, defungique cura? Brevis enim profectò res eſt; ſi uno tenore peragitur, nec ipſi per intermiſſiones has intervallaque lentiorem ſpem noſtram facimus. loquor de opere, & de temporis jactura. Quid? periculi quod differendo bello adimus,

adimus, num obliviſci nos hæc tam creba Etruriæ conſilia de mittendis Vejos auxiliis patiuntur? ut nunc res ſe habet, irati ſunt, oderunt, negant miſſuros: quantum in illis eſt, capere Vejos licet. Quis eſt, qui ſpondeat eundem, ſi differatur bellum, animum poſtea fore? Quum, ſi laxamentum dederis, major frequentiorque legatio itura ſit: quum, id quod nunc offendit Etruſcos, rex creatus Vejis, ſpatio mutari interpoſito poſſit, vel conſenſu civitatis, ut eo reconcilient Etruriæ animos, vel ipſius *voluntate regis, qui obſtare regnum ſuum ſaluti civium nolit.* Videte quot res quàm inutiles ſequantur illam viam conſilii: jactura operum tanto labore factorum, vaſtatio imminens finium noſtrorum: Etruſcum bellum pro Vejente concitatum. Hæc ſunt tribuni, conſilia veſtra, *non*, hercule, *diſſimilia, ac ſi quis ægro qui curari ſe fortiter paſſus extemplo convaleſcere poſſit, cibi gratia præſentis aut potionis longinquum & forſitan inſanabilem morbum efficiat.* Si medius fidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad diſciplinam certè militiæ plurimum intererat, inſuefcere militem noſtrum, non ſolum parta victoria frui, ſed, ſi res etiam lentior ſit, *pati tædium, & quamvis ſeræ ſpei exitum exſpectare:* &, ſi non ſit æſtate perfectum bellum, hyemem opperiri. nec, ſicut æſtivas aves, ſtatim autumno tecta ac receſſum circumſpicere. Obſecro vos, *venandi ſtudium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes ſylvaſque rapit: belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet?* Adeone effœminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeo molles animos, ut hyemem unam durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint? Ut tanquam navale bellum, tempeſtatibus captandis & obſervando tempore anni, gerant, non æſtus, non frigora pati poſſint? Erubeſcant profecto, ſi quis eis hæc objiciat; contendantque & animis, & cor-

poribus ſuis virilem patientiam ineſſe, & ſe juxtà hyeme atque æſtate bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæque mandaſſe tribunis, meminiſſe hanc ipſam poteſtatem non in umbra, nec in tectis majores ſuos creaſſe. Hæc virtute militum veſtrorum, hæc Romano nomine ſunt digna: non Vejos tantum, nec hoc bellum intueri, quod inſtat; ſed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos in poſterum quærere. An mediocre diſcrimen opinionis ſequuturum ex hac re reputatis? Utrum tandem finitimi populum Romanum eum eſſe putent, cujus ſiqua urbs primum illum breviſſimi temporis ſuſtinuerit impetum, nihil deinde timeat? an hic ſit terror nominis noſtri, ut exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis ab urbe circumſeſſa ſemel amovere poſſit, nec finem ullum alium belli quàm victoriam noverit, *nec impetu potius bella quàm perſeverantia gerat? Quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obſidendis urbibus neceſſaria eſt*: quarum pleraſque munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame, ſitique tempus ipſum vincit atque expugnat; ſicut Vejos expugnabit: niſi auxilio hoſtibus tribuni pleb. fuerint, & Romæ invenerint præſidia Vejentes, quæ nequicquam in Etruria quærunt. *An eſt quicquam* quod Vejentibus *optatum æque* contingere poſſit, *quã ut* ſeditionibus primùm urbs Romana, deinde velut ex contagione caſtra impleantur. At, hercule, apud hoſtes tanta modeſtia eſt, ut non obſidionis tædio, non denique regni, quicquam apud eos novatum ſit; non negata auxilia ab Etruſcis irritaverint animos. Morietur enim exemplo, quicunque erit ſeditionis author, nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud vos impunè dicuntur. Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit. Auctores ſigna relinquendi, & deſerendi caſtra, non uni aut alteri militi, ſed univerſis exercitibus, palàm in concione audiuntur.

audiuntur. Adeo quicquid tribunus pleb. loquitur, etsi prodendæ patriæ, dissolvendæque Reipub. est, assuestis audire: & à dulcedine potestatis ejus capti, quælibet sub ea scelera latere sinitis. Reliquum est ut, quæ hic vociferantur, eadem in castris & apud milites agant, & exercitus corrumpant, ducibusque parere non patiantur: quoniam ea demum Romæ libertas est, non senatum, non magistratus, non leges, non mores majorum, non instituta patrum, non disciplinam vereri militiæ.

ORATIO

P. LICINII CALVI ad populum, ut filio sibi delatum honorem mandaret.

ARGVMENTVM.

Tribunos militum consulari potestate (in quibus P. Licinius Calvus erat primus ex plebe) vitio creatos, oraculo Delphico constabat. Itaque omnes se magistratu abdicant, res ad interregnum, sicuti responsum erat, redacta. Creatur omnium centuriarum consensu ac voluntate iterum idem P. Licinius. Is quum jam exactæ ætatis tribunitiæ potestati se imparem videret, ita Quirites rogabat, ut honorem sibi delatum filio mandarent.

OMEN concordiæ, Quirites, rei maximè in hoc tempus utilis, memoria nostri magistratus vos his comitiis petere in insequentem annum video, si & collegas eosdem reficitis, *etiam usu meliores factos.* Me jam *non eundem, sed umbram nomenq; P. Licinii* relictum videtis. *Vires corporis affecte: sensus oculorum atq; aurium hebetes. memoria labat, vigor animi obtusus.* En vobis (*inquit juvenem filium tenens*) effigiem atq; imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis. Hunc ego institutum disciplina mea, vicarium

pro me Reipub. do dicoque. voſque quæſo Quirites delatum mihi ultro honorem huic petenti, meiſque pro eo adjectis precibus, mandetis.

ORATIO

CAMILLI ad PÆDAGOGVM Faliſcorum in caſtris deprehenſum cum pueris.

ARGUMENTUM.

M. Furio Camillo mandatum erat bellum adverſus Faliſcos: quo bello fuſi fugatique Faliſci, amiſſis caſtris in oppidum ſe receperunt. In obſidione oppidi Ludimagiſter Faliſcorum pueros luſus exercendique cauſa ingenii ante urbem producens, longius fortè variatis ſermonibus progreſſus, in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi quum Faliſcos diceret à ſe jam in manus Romanorum traditos, quòd pueros eos dederet quorum parentes primores eſſent Faliſcorum: in hanc ſententiam reſpondit Camillus.

NON ad ſimilem tui nec populum, nec imperatorem ſceleſtus ipſe cum ſceleſto munere veniſti. Nobis cum Faliſcis quæ pacto ſit humano *ſocietas* non eſt. *quam ingeneravit natura, utriſque eſt, eritque. Sunt & belli ſicut pacis jura: juſteque ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adverſus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur: ſed adverſus armatos, & ipſos, qui nec læſi nec laceſſiti à nobis, caſtra Romana ad Veios oppugnarunt.* Eos tu, quantum in te fuit, novo ſcelere viciſti: *ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Vejos, vincam.*

ORATIO

LEGATORUM FALISCOS Romanis dedentium in ſenatu,

ARGVMENTVM.

Hujus principium conjunctum eſt cum fine ſuperioris.

Ludi-

Ludimagiſter à Camillo proditionis crimine vehementer accuſatus, juſſus nudato corpore à pueris virgis cædentibus in oppidum reduci, omnium in ſe oculos tanquam ad novum ſpectaculum converterat: ea re diligenter à ſenatu Faliſcorum perpenſa, mutatis animis & conſiliis, legati ad Camillum primùm, deinde Romam miſſi, qui Faliſcos hac oratione dederent.

PATRES Conſcripti, victoria, cui nec deus, nec homo quiſquam invideat, victi à vobis & imperatore veſtro, dedimus nos vobis: *rati (quo nihil victori pulchrius eſt) melius nos ſub imperio veſtro quàm legibus noſtris victuros* Eventu hujus belli duo ſalutaria exempla prodita humano generi ſunt: Vos *fidem in bello, quàm præſentem victoriam, maluiſtis*: nos *fide provocati, victoriam ultrò detulimus.* Sub ditione veſtra ſumus. Mittite, qui arma, qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei noſtræ, nec nos imperii veſtri pœnitebit.

ORATIO.

CAMILLI EXULIS, qua Ardeates, ut arma capiant adverſus Gallos, adhortatur.

ARGVMENTVM.

Camillius Ardeam fortè exulatum abierat, quum Galli urbem Romam, præter Capitolium, ceperunt: is, quum Galli Ardeam frumentandi gratia vagarentur, publica fortuna quàm ſua mœſtior, in concionem procedens, hac oratione Ardeates ad ſumenda arma adverſus Gallos, adhortabatur.

ARDEATES, veteres amici, novi etiam cives mei (quando & veſtrũ beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea) nemo veſtrûm conditionis meæ oblitum me huc proceſſiſſe putet: ſed *res, ac periculum commune cogit, quod quiſque poſſit in re trepida præſidii, in medium conferre.*

Et

Et quando ego vobis pro tantis veſtris in me meritis gratiam referam, ſi nunc ceſſavero? Aut ubi uſus erit mei vobis, ſi in bello non fuerit? Hac arte in patria ſteti: & *invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulſus* ſum. Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata eſt, & pro tantis priſtinis populi Romani beneficiis, quanta ipſi meminiſtis, (nec enim exprobanda apud memores ſunt) gratiæ referendæ; & huic urbi decus ingens belli ex hoſte communi pariendi. Quæ effuſo agmine adventat, gens eſt, cui natura corpora animoſque magna magis quàm firma dederit: eò in certamen omne plus terroris quàm virium ferunt. Argumento ſit clades Romana: patentem cepere urbem: ex arce Capitolioque his exigua reſiſtitur manu. Jam obſidionis tædio victi abſedunt, vagique per agros palantur; cibo, vinoque raptim hauſto repleti. Ubi nox appetit, prope rivos aquarum, ſine munimentum, ſine ſtationibus ac cuſtodiis paſſim ferarum ritu ſternuntur: *nunc ab ſecundis rebus magis etiam ſolito incauti.* Si vobis in animo eſt, tueri mœnia veſtra; nec pari hæc omnia Galliam fieri; prima vigilia, capite arma: frequentes me ſequimini ad cædem, non ad pugnam. Niſi victos ſomno veluti pecudes, trucidandos tradidero; non recuſo eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.

ORATIO
M. FURII CAMILLI ad populum Romanum de non tranſmigrando Vejos.

ARGVMENTVM.

Galli capta Roma, domos omnes templaque deorum, præter pauca & Capitolium, diruerant ſoloque æquaverant. Quæ fuit cauſa ut tribuni pleb. fugatis cæſiſque Gallis Camillo duce, quum Romam patres plebſque reduiſſent, ad plebem de tranſmigratione Vejos referrent. Quod ubi Camillus intellexit, conva-

convocato populo, hac concione non esse transmigrandum Vejos suadebat.

ADEO mihi acerbæ sunt, Quirites, contentiones cum Tribunis pleb. ut tristissimi exilii solatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam quod procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc, non, nisi me senatusconsulto populique jussu evocaretis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me, ut redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna, perpulit. Quippe ut in sua sede maneret patria, id agebatur: non ut ego utique in patria esſem. Et nunc quiescerem & tacerem libenter, nisi hæc quoque *pro patria dimicatio* esset. *cui deesse quoad vita suppeditat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est.* Quid enim repetimus? Quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus? Et quum victoribus Gallis, capta tota urbe Capitolium tamen atq; arcem diiq; & homines Romani tenuerint, habitaverint: victoribus Romanis recuperata urbe, arx quoque & Capitolium deseretur? & plus vastitatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet, quam adversa fecerit. Equidem *si nobis cum urbe simul posita traditaque per manus religiones nullæ essent; tamen tam evidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis; ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem.* Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas; *invenietis omnia prospere evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus.* Jam omnium primum Vejens bellum (per quot annos quanto labore gestum!) non ante cepit finem, quam monitu Deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid hæc tandem urbis nostræ clades nova? num ante exorta est, quam spreta vox cœlo emissa de adventu Gallorum, quam gentium jus ab legatis nostris violatum, quam à nobis quum vindicari deberet, eadem negligentia Deorum præter-

termiſſum? Igitur victi captique ac redempti tantum pœnarum Diis hominibuſque dedimus, ut terrarum orbi documento eſſemus. *Adverſæ* deinde *res admonuerunt religionum.* Confugimus in Capitolium ad Deos, ad ſedem Jovis optimi maximi: ſacra in ruina rerum noſtrarum alia terræ celavimus, alia avecta in finitimas urbes amovimus ab hoſtium oculis. Deorum cultum, deſerti ab diis hominibuſque, tamen non intermiſimus. Reddidere igitur patriam, & victoriam & antiquum belli decus amiſſum: & in hoſtes qui cæci avaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque & cædem. Hæc culti neglectique numinis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid ſentitis, Quirites, quantum vix dum ex naufragiis prioris culpæ cladiſque emergentes, paremus nefas? Urbem auſpicato inauguratoque conditam habemus: nullus locus in ea non religionum Deorumque eſt plenus: ſacrificiis ſolennibus, non dies magis ſtati quàm loca ſunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos, publicos privatoſque, Quirites, deſerturi eſtis? Quam par veſtrum factum eſt, quod in obſidione nuper in egregio adoleſcente C. Fabio, non minore hoſtium admiratione quàm veſtra conſpectum eſt? quum inter Gallica tela digreſſus ex arce ſolenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit? An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, publica ſacra & Romanos Deos etiam in pace deſeri placet; & Pontifices flamineſque negligentiores publicarum religionum eſſe, quàm privatus in ſolenni gentis fuerit? Forſitan aliquis dicat, aut Veios nos facturos, aut huc inde miſſuros ſacerdotes noſtros, qui faciant: quorum neutrum fieri ſalvis cæremoniis poteſt. Et ne omnia generatim ſacra, omneſque percenſeam Deos; in Jovis epulo nunc alibi, quam in Capitolio, pulvinar ſuſcipi poteſt: Quid de æternis Veſtæ ignibus, ſignoque, quod Imperii pignus cuſtodia

ejus

ejus templi tenetur, loquar? quid de ancilibus vestris? Mars Gradive, tuq; Quirine pater! hæc omnia in profano deseri placet sacra, æqualia urbi, quædam vetustiora origine urbis? Et videte quid inter nos ac majores interfit. Illi sacra quædam in monte Albano, Lavinioque nobis facienda tradiderant. An ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit: hinc sine piaculo in hostium urbem Vejos transferemus? Recordamini agitedum, quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia casuve prætermissum est. Modò quæ res, potest prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum auspiciorumque renovatio, affectæ Vejenti bello Reipub. remedio fuit; At etiam, tanquam veterum religionum memores, & peregrinos deos transtulimus Romam, & instituimus novos. Juno regina transvecta à Vejis, nuper in Aventino, quàm insigni, ob excellens matronarum studium, celebrique dedicata est die? Ajo Locutio templum propter cælestem vocem exauditam in nova via jussimus fieri: Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus: collegiumque ad id novum, authore senatu, condidimus. Quid horum opus fuit suscipi; si unà cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus? si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis? si ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur, & de templis: Quid tandem de sacerdotibus nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur? Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil unquam præterquam urbs capta, movit. Flamini diali noctem unam manere extra urbem nefas est. hos Vejentes pro Romanis facturi estis sacerdotes, & Vestales tuæ te deserent, Vesta? & *flamen* peregrè habitando, in singulas noctes tantum sibi reique publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auspicato agimus omnia ferè intra pomœrium, cui oblivioni, aut cui negligentiæ damus?

mus? Comitia curiata, quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus consules tribunosq; militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi adsolent, fieri possunt? Vejosne hac transferemus? An commitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab diis hominibusque urbem convenient? Sed res ipsa cogit vastatam incendiis ruinisque relinquere urbem, & ad integra omnia Vejos migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem jactari magis causam, quam verum esse, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto, qui meministis ante Gallorum adventum, salvis tectis publicis privatisque, stante incolumi urbe, hanc eandem rem actam esse, ut Vejos transmigraremus. Et videte, quantum inter meam sententiam vestramque intersit, tribuni. Vos, etiamsi tunc faciendum non fuerit, nunc utique faciendum putatis: ego contra (nec id mirati sitis, priusquam quale sit audieritis) etiamsi tunc migrandum fuisset incolumi tota urbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem. Quippe tum causa nobis in urbem captam migrandi victoria esset, gloriosa nobis ac posteris nostris; nunc hæc migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. Non enim reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbimini. Hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumcessum Capitolium necessitatis imposuisse, ut desereremus penates nostros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco consciscere-mus, quem tueri non possemus. Et Galli evertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse? Quid restat, nisi ut jam novis copiis veniant, (constat enim vix credibilem multitudinem esse) & habitare in capta ab se, deserta à vobis hac urbe velint, sinatis? Quid si non Galli hoc, sed veteres hostes vestri, Æqui Volscive faciant, uti commigrent Romam? Velitisne illos Romanos, vos Vejentes esse? an malitis hanc solitudinem

tudinem vestram, quam urbem hostium esse? Non equidem video quid magis nefas sit. Hæc scelera, quia piget ædificare, hæc dedecora, pati parati estis? Si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit, quam casa illa conditoris est nostri, non in cælis ritu pastorum agrestiumque habitare est satius inter sacra penatesque vestros, quam exulatum publicè ire? Majores nostri convenæ pastoresque, quum in his locis nihil præter sylvas paludesque esset, novam urbem tam brevi ædificaverunt: nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis Deorum, ædificare incensam piget? Et quod singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico incendio universi recusamus facere? Quid tandem, si fraude, si casu Vejis incendium ortum sit, ventoq; (ut fieri potest) diffusa flamma magnam partem urbis absumat? Fidenas inde aut Gabios, aliamve quam urbem quæsituri sumus, quo transmigremus? Adeo nihil tenet solum patriæ? nec hæc terra quam matrem appellamus? sed in superficie tigniſque charitas nobis patriæ pendet? Equidem, fatebor vobis, etsi minus injuriæ vestræ quam meæ calamitatis meminisse juvat? quum abessem, quotiescunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, & Tiberis, & assueta oculis regio, & hoc cœlum sub quo natus educatusque essem. Quæ vos, Quirites, nunc moveant potius charitate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea quum reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa Dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt; saluberrimos colles, flumen oportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiuntur: *mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum*: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento est ipsa magni-

gnitudo tam novæ urbis. Trecentesimus sexagesimus quintus annus urbis, Quirites, agitur: Inter vos tot veterrimos populos tam diu bella geritis, quum interea, ne singulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volsci, tot tam valida oppida, non universa Etruria tantum terra marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod quum ita sit, quæ (malum) ratio est expertis alia experiri, quum jam ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certè loci hujus transferri hinc non possit? Hic Capitolium est, ubi quondam *capite humano invento*, responsum est, *eo loco caput rerum summamque imperii fore*. Hic, quum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi. hic Vestæ ignes, hic Ancilla cœlo demissa, hic omnes propitii manentibus vobis Dii.

Ex sexto libro ab urbe condita.

ORATIO

M. PURII CAMILLI Dictatoris, qua suos perterritos hostium numero adhortatur.

ARGUMENTUM.

Ad Satricum Antiates cum Volscorum, Latinorum Hernicorumque ingenti multitudine sumpserant arma contra Romanos. Quod bellum Camillo dictatori mandatum fuit. Ibi cum viso inspectoque hostium ingenti numero, milites commoti perturbatique, singulis cum centenis congrediendum esse conclamarent: Camillus in equo inter aciem obequitans, eos ad strenue atque fortiter pugnandum ita adhortabatur.

QUÆ tristitia, milites, hæc? quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? *Hostis quid aliud est quàm perpetua materia virtutis gloriæque vestræ?* Vos contrà, me duce,

duce, (ut Falerius Vejosque captos, & in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam) modo tergeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis & Æquis, & ex Etruria egistis. An me, quod non *dictator* vobis sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in vos desidero: & vos in me nihil præter me ipsum intueri decet, neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. *Idem igitur omnes sumus*: & quum eadem omnia in hoc bellum afferamus quæ in priora attulimus, eventum eundem belli expectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet: Vos vincetis, illi fugient.

ORATIO
A. CORNELII COSSI dictatoris ad suos.

ARGVMENTVM.

A. Cornelius Cossus dictator T. Quintium Capitolinum magistrum equitum dixerat. Is adversus Volscorum ingentem multitudinem, etiamsi bella intestina remorari poterant, delectu habito in agrum Promptinum milites ducunt. Ibi quum postridie quàm venissent, cæsa hostia pacem à diis petiisset dictator, lætus tanquam à diis auditus esset, in hæc verba milites adhortabatur.

NOSTRA victoria est, milites, siquid dii vatesque eorum in futurum vident. Itaque, ut decet certæ spei plenos, & cum imparibus manus conserturos, pilis ante pedes positis, gladiis tantum dextram armemus, ne procurri quidem ab acie velim, sed obnixos vos stabili gradu imperū hostium excipere. Ubi illi vana injecerint missilia, & effusi stantibus vobis se intulerint, tum micent gladii, & veniat in mentē unicuique, deos esse, qui Romanum adjuvent, deos qui secundis avibus in prælium miserint. Tu, Quinti, equitem intentus ad primum

primum initium moti certaminis teneas: ubi hærere jam aciem collato pede videris, tum terrorem equestrem occupatis alio pavore infer: invectusque ordines pugnantium dissipa.

ORATIO
CORNELII COSSI dictatoris in M. Manlium.

ARGVMENTVM.

M. Manlius Capitolinus erat qui Capitolium ab Gallis clangore anserum excitus servarat. Is largitionibus populari aura captata, populum domum suam vocat: ubi in patres invectus, inter alia ab iis thesauros eos, qui ad redimendum à Gallis urbem ex ærario exprompti, sive à matronis collati fuerunt, occultatos jactabat. Rogatus ubinam tantæ rei furtum occultaretur, tempore ipso se indicaturum respondit. Dictator Cossus ob eam rem ab exercitu & castris in urbem accitus, postero die senatu habito, quum voluntates hominum satis explorasset, retinet senatum, Manliumque per præconem vocari jubet. Manlius multitudine plebis stipatus in senatum venit, in quem dictator hæc verba conjecit.

VTINAM mihi patribusque Romanis ita de cæteris rebus cum plebe conveniat, quemadmodum, quod ad te attinet, eamque rem quam de te sum quæsiturus, conventurum satis confido. Spem factam à te civitati video, fide incolumi ex thesauris Gallicis, quos primores patrum occultent, creditum solvi posse: cui ego *rei tantum abest ut impedimento sim*, ut contra te, M. Manli, adhorter, liberes fœnore plebem Romanam: & istos incubantes publicis thesauris ex præda clandestina evolvas. Quod nisi facias, sive ut & ipse in parte prædæ sis, sive quia vanum indicium est; in vincula te duci jubebo: nec diutius patiar à te multitudinem fallaci spe concitari.

ORA-

ORATIO

MANLII CAPITOLINI, qua dictatori, & patribus respondet.

ARGUMENTUM.

Conjunctum est hoc cum superiore. Cum plebe, quam donis largitionibusque pellexerat, in senatum Manlius venerat. Ibi dictatori concionato, in hanc sententiam respondit.

OFFENDIT te, A. Corneli, vosque P. C. circumfusa turba lateri meo? Quin eam deducitis à me singuli vestris beneficiis? intercecendo, eximendo de nervo cives vestros, prohibendo judicatos addictosque duci; ex eo quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum? Sed quid ego vos de vestro impendatis hortor? Sortem aliam ferte, de capite deducite quod usuris pernumeratum est; jam nihilo mea turba, quam ullius conspectior erit. At enim quid ita solus ego civium curam ago? Nihilo magis quod respondeam habeo, quam si quæras quid ita solus Capitolium arcemque servarim. Et tum universis quam potui, opem tuli, & nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quæritis quod scitis? Cur quod in sinu vestro est, excuti jubetis potius, quam ponatis; nisi aliqua fraus subest quo magis argui præstigias jubetis vestras, eo plus vereor ne abstuleritis, observantibus etiam oculis. Itaque non ego vobis ut indicem prædas vestras, sed vos ad id cogendi estis, ut in medium proferatis.

ORATIO

M. MANLII CAPITOLINI post vincula ad plebem adversus patres concitandam.

ARGUMENTUM.

Concitata plebs erat Manlii fortuna miseraq; conditione

ne, adeo ut magna pars veſtem mutaret, mœſta turba veſtibulo carceris obverſaretur. Ei multitudini, ſimul ac Coſſus dictatura abiit, plerique exprobrabant inter alia etiam illud, quod defenſores ſuos favore in præceps ruere ſinebat: ut Sp. Melium & Caſſium: ita M. Manlium, proditum inimicis, quod ad nutum dictatoris reſpondere noluiſſet, conjectum fuiſſe in carcerem. His aliiſque ad eandem rem pertinentibus plebs ſtimulata atque irritata, jam ſe carcerem effracturam minabatur, quum ex ſenatuſconſulto Manlius liberatur. Eductus ex carcere animum ad ſeditionem intendens, plebem domum convocat, ubi in hanc ſententiam de tollendis magiſtratibus diſſeruit.

QVOVSQVE tandem ignorabitis *vires* veſtras, quas *natura ne belluas quidem ignorare voluit*? Numerate ſaltem quot ipſi ſitis, quot adverſarios habeatis. Si ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen *acrius* crederē vos *pro libertate, quàm* illos *pro dominatione certaturos*. Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc adverſus unum hoſtem eritis. Oſtendite modo bellum, pacem habebitis. Videant vos paratos ad vim, jus ipſi remittent. *Audendum eſt aliquid univerſis, aut omnia ſingulis patienda.* Quouſque me circumſpectabitis? Ego quidem nulli veſtrûm deero, ne fortuna mea deſit, videte. Ipſe vindex veſter, ubi viſum inimicis eſt, nullus repentè fui: & vidiſtis in vincula duci univerſi eum, qui à ſingulis vobis vincula depuleram. Quid ſperem, ſi plus in me audeant inimici? An exitum Caſſii Meliique expectarem? Bene facitis quod abominamini: Dii prohibebunt hæc: ſed nunquam propter me de cœlo deſcendent. Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis; ſicut mihi dederunt armato togatoque, ut vos à barbaris hoſtibus, à ſuperbis defenderem civibus. Tam parvus animus tanti populi eſt, ut ſemper vobis auxilium adverſus inimicos ſatis ſit, nec ullum, niſi quatenus

tenus imperari vobis finatis, certamen adversus patres noveritis? Nec hoc natura insitum vobis est, sed usu possidemini. Cur enim adversus externos tantum animorum geritis, ut imperare illis æquum censeatis? Quia consueviſtis cum eis pro imperio certare, adversus hos tentare magis quam tueri libertatem. Tamen qualescunque duces habuiſtis, qualescunque ipsi fuiſtis, omnia adhuc quantacunque petiſtis, obtinuiſtis; seu vi, seu fortuna vestra. tempus est etiam maiora conari. Experimini modo & vestram felicitatem, & me (ut spero) feliciter expertum: minore negotio, qui imperet patribus, imponetis, quàm qui resisterent imperantibus, imposuiſtis. Solo æquandæ sunt dictaturæ consulatusque, ut caput attollere Romana plebs possit. Proinde adeste, prohibete jus de pecuniis dici. ego me patronum profiteor plebis, quod mihi cura mea & fides nomen induit. Vos si quo insigni magis imperii honorisve nomine vestrum appellabitis ducem, eo utemini potentiore ad obtinenda ea quæ vultis.

ORATIO CAMILLI AD SENATORES Tusculanorum de mittendis Romam de pace legatis.

ARGUMENTUM.

Camillus in recensendis captivis Volsciorum forte Tusculanos duos agnoscit, qui rogati quo consilio cum Volscis se conjunxissent, quum publice faterentur, ducti sunt Romam ad senatum. Ibi Camillus perfidiam Tusculanorum accusat. Placet patribus ut bellum adversus Tusculanos geratur; cui Camillum præficiunt. Tusculani cives patentibus urbis portis obviam Camillo in urbem promoventi frequentes procedunt: commeatus exercitui ex urbe & agri, devehitur. Ingressus vero urbem, quum non secus quam in certa pace opifices suo quenque operi intentos cerneret, rei rationem admiratus, senatu eorum vocato, ita verba fecit.

SOLI

SOLI adhuc Tusculani vera arma, veraſque vires, quibus ab ira Romanorum veſtra tueremini, inveniſtis. Ite Romam ad ſenatum. æſtimabunt patres utrum plus ante pœnæ, an nunc veniæ meriti ſitis. Non præripiam gratiam publici beneficii. deprecand poteſtatem à me habueritis, precibus eventum veſtris ſenatus, quum videbitur, dabit.

ORATIO.

LEGATORVM TVSCVLANORVM in ſenatu, qua ſe purgant.

ARGVMENTVM.

Tuſculani oratores, ſicuti ſuaſerat Camillus, Romam ad petendam pacem miſſi, hoſpitaliter vocati, cauſam ſuam ita egerunt.

QUIBVS bellum indixiſtis, intuliſtiſque, P. C. ſicut nunc videtis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ, ita armati paratique obviam imperatoribus legionibuſque veſtris proceſſimus. Hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, eritque ſemper, niſi ſi quando à vobis, proque vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus veſtris & exercitibus, quod oculis magis quam auribus crediderunt: & ubi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerunt. Pacem quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus: bellum eo, ſicubi eſt, avertatis precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inermes experiemur. Hæc mens noſtra eſt: Dii immortales faciant, tam felix quam pia. Quod ad crimina attinet, quibus mori bellum indixiſtis; etſi revicta rebus, verbis confutare nihil attinet; tamen etiamſi vera ſint, vel fateri nobis ea, quum tam evidenter pœnituerit, tutum cenſemus. Peccetur in vos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat.

ORATIO

ORATIO.

Q. CINCINNATI DICTATORIS ad A. Sempronium magistrum equitum de belli ratione.

ARGVMENTVM.

Iam Prænestini, quum omnia Romæ seditionibus plena perlatum esset, vastatis agris ad portam Collinam pervenerant spe urbis capiendæ: quum Romani dictatorem, ut assolebant in re trepida, T. Quintium Cincinnatum creant, à quo A. Sempronius magister equitum dictus. Hostes, quum dictatorem creatum audirent, à mœnibus ad Alliam flumen, ubi castra locarent, se receperant. Dictator Quintius ducto exercitu, quum hostes in conspectu instructos paratosque videret, ita de belli ratione cum magistro equitum agebat.

VIDESNE tu Aule Semproni, loci fortuna illos fretos ad Alliam constitisse? nec illis Dii immortales certioris quicquam fiduciæ, majorisve quod sit auxilii, dederunt? At tu fretus armis animisque, concitatis equis invade mediam aciem: ego cum legionibus, in turbatos trepidantesque inferam signa. Adeste *dii testes fœderis*: & expetite pœnas debitas simul vobis violatis, nobisque per vestrum numen deceptis.

ORATIO CAMILLI DICTATORIS ad Quirites, de intercessione.

ARGVMENTVM.

Plebs, arrepta forte occasione rerum novandarum ex magni vi æris alieni, à quo levari non posset, nisi suis in summo imperio collocatis; Tribunos plebis duos, C. Licinium & L. Sextium creat, qui sibi viam præstruerent ad cæteros honores. Ii creati promulgant leges tres adversus opes patriciorum & pro commodis plebis. Vnam de ære alieno

ut deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod reliquum esset triennio tribus æquis portionibus persolveretur: alteram de modo agrorum, nequis amplius quam quingenta jugera agri possideret: tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, consulque alter ex plebe crearetur. Conterriti patres tam severis contra se legibus, collegas tribunis duobus adjungant: qui leges per intercessionem promulgari non sinerent. Ii, à duobus collegis legumlatoribus concilio ad promulgandas leges sæpe vocato, ne recitari quidem eas passi sunt. Conditione deinde rerum coacti iidem legumlatores, tribunos militum creari permittunt. Ita promulgatio in reditum exercitus dilata. Interim sæpe refecti iidem tribuni, miseriam plebejorum primoribus patrum exponunt, in licentiamque maximam patritiorum invehebantur, quod attineret ad id quod leges promulgandæ continebant. Iam decies refecti, quum legionibus in urbem reductis, non impedirentur collegarum intercessione, patres dictatorem creant Camillum. Qui stipatus magno patriciorum numero, quum collegarum intercessione etiam renovata nihil profici videret, proxima oratione de intercessione ad populum verba fecit. Ea concione habita, quum indictis tribunorum plebis comitiis legumlatores jam decies (ut ante dixi) refecti se abire velle magistratu per simulationem faterentur: magis accendebant plebis animos ad id quod petebant. Nam etsi in leges suas pugnatum esse commemorabant interssione collegarum, bello Veliterno & dictatoris creatione: jam tamen illa obstare posse negabant quo minus leges promulgarentur, quum magister equitum ex plebe dictus gradum fecisse ad cæteros quoque magistratus videretur. His aliusque plebis animos inflammarant, quum stupentibus cæteris unus App. Claudius adversus tribun. pleb. legumlatores, legesque ipsas, posteriorem orationem habuit.

QUAN-

QVANDOQVIDEM, Quirites, jam vos Tribunitia libido, non poteſtas, & interceſſionem ſeceſſione quondam plebis partam vobis, eadem vi facitis irritam, qua peperiſtis; non Reipub. magis univerſæ, quam veſtra cauſa dictator interceſſioni veſtræ adero? everſumque veſtrum auxilium imperio tutabor. Itaque ſi C. Licinius & L. Sextius interceſſioni collegarum cedunt, nihil, patricium magiſtratum inferam concilio plebis. ſi adverſus interceſſionem. tanquam captæ civitati leges imponere tèntent, vim tribunitiam à ſe ipſa diſſolvi non patiar.

ORATIO
APPII CLAUDII contra Tribunos plebis legumlatores, & leges ipſas.

NEQVE novum, neque inopinatum mihi ſit, Quirites, ſi quod unum familiæ noſtræ ſemper objectum eſt ab ſeditioſis tribunis, id nunc ego quoque audiam: Claudiæ genti jam inde ab initio nihil antiquius in Republica, patrum majeſtate fuiſſe: ſemper plebis commodis adverſatos eſſe. Quorum alterum neque nego, neque inficias eo, nos, ex quo aſciti ſumus ſimul in civitatem & patres, enixe operam dediſſe, ut per nos aucta potius quam imminuta majeſtas earum gentium, inter quas nos eſſe voluiſtis, dici vere poſſet. Illud alterum pro me maioribuſque meis contendere auſim, Quirites, (niſi quæ pro univerſa Repub. fiant, ea plebi tanquam aliam incolenti urbem adverſa quis putet) nihil nos neque privatos, neque in magiſtratibus, quod incommodum plebi eſſet, ſcientes feciſſe: *nec ullum factum dictumve noſtrum, contra utilitatem veſtram (etſi quædam contra voluntatem fuerint) vere referri poſſe.* An hoc, ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec patricio ſanguine ortus, ſed unus Quiritum quilibet, qui, modò me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate

ſciam, reticere poſſim? L. illum Sextium, & C. Licinium, perpetuos (ſi Diis placet) tribunos, tantum licentiæ novem annis, quibus regnant, ſumpſiſſe, ut vobis negent poteſtatem liberam ſuffragii, non in comitiis, non in legibus jubendis, ſe permiſſuros eſſe? Sub conditione, inquit, nos reficietis decimùm tribunos. Quid eſt aliud dicere? quod petunt alii, nos adeo faſtidimus, ut ſine mercede magna non accipiamus. Sed quo tandem iſta merces eſt, qua vos ſemper tribunos plebis habeamus? Ut rogationes, inquit, noſtras, ſeu placent, ſeu diſplicent, ſeu utiles, ſeu inutiles ſunt, omnes conjunctim accipiatis. Obſecro vos, Tarquinii, tribuni plebis, putate me ex media concione unum civem ſuccłamare: bona venia veſtra liceat ex his rogationibus legere, quas ſalubres nobis cenſemus eſſe, antiquare alias. Non, *inquit*, licebit. Tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, jubeas: & hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti L. Sextium atque hunc C. Licinium conſules, quod indignaris, quod abominaris, videas, Aut omnia accipe, aut nihil fero. ut ſiquis ei quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo, & aut abſtinere eo quod vitale ſit, jubeat, aut mortiferum vitali admiſceat. Ergo ſi eſſet libera hæc civitas, non tibi frequentes ſucclamaſſent, Abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis? quid ſi non tuleris, quod commodum eſt populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Si quis patricius, ſi quis (quod illi volunt invidioſius eſſe) Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero, quis veſtrûm, Quirites, ferret? Nunquamne vos res potius quam auctores ſpectabitis, ſed omnia ſemper quæ magiſtratus ille dicet, ſecundis auribus, quæ ab noſtrûm aliquo dicentur, adverſis accipietis? At, hercule, ſermo minimè civilis. Quid? rogatio qualis eſt, quam à vobis antiquatam indignantur? Sermoni Quirites ſimillima.

lima. Consules (inquit) rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat, qui utique alterum ex plebe fieri consulem jubet: nec duos patricios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, quum Porsena Janiculum insedit, quale Gallicum modo, quum præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant, & consulatum cum hoc M. Fusio, aut quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret; possetisne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commne honores vocare, ut duos plebejos fieri consules liceat, duos patricios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, utrumque ex patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? parum est, si cujus pars tua nulla adhuc fuit in partem ejus venis, nisi partem petendo, totum traxeris? Timeo, *inquit*, ne si quos licebit creari patricios, neminem creetis plebejum. Quid est dicere aliud, nisi, quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi quos non vultis, imponam? quid sequitur, nisi ut ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis unus petierit plebejus, & lege se non suffragio creatum dicat? Quo modo extorqueant, non quo modo petant honores, quærunt: & ita maxima sunt adepturi, ut nihil ne pro minimis quidem debeant; & *occasionibus potius quàm virtute petere honores malint.* Est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat, qui certos sibi uni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse? qui se arbitrio vestro eximat? qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serva pro liberis faciat? Omitto Licinium Sextiumque, quorum annos in perpetua potestate tanquam regum in Capitolio numeratis; quis est hodie in civitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quàm

nobis ac liberis noſtris fiat ? ſiquidem nos, ne quum volueritis quidem, creare interdum poteritis, iſtos etiam ſi nolueritis, neceſſe ſit. De indignitate ſatis dictum eſt (etenim dignitas ad homines pertinet) quid de religionibus atque auſpiciis, quæ propria Deorum immortalium contemptio atque injuria eſt, loquar? Auſpiciis hanc urbem conditam eſſe, auſpiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis eſt qui ignoret ? Penes quos igitur ſunt auſpicia more maiorum ? Nempe penes patres. Nam plebejus quidem magiſtratus nullus auſpicatò creatur. Nobis adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quàm auſpicato creet; ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicatò interregem prodamus, & privatim auſpicia habeamus, quæ iſti nec in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quàm tollit ex civitate auſpicia, qui plebejos conſules creando, à patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert ? Eludant nunc licet religiones. Quid enim eſt, ſi pulli non paſcentur ? ſi ex cavea tardius exierint ? ſi occinuerit avis ? Parva ſunt hæc : ſed *parva iſta non contemnendo, maiores noſtri maximam hanc rem fecerunt.* Nunc nos, tanquam jam nihil pace Deorum opus ſit, omnes ceremonias polluimus. Vulgò ergo pontifices, augures, ſacrificuli reges creentur : cuilibet apicem dialem, dummodo homo ſit, imponamus : tradamus ancilia, penetralia, Deos Deorumque curam, quibus neſas eſt. Non leges auſpicato ferantur, non magiſtratus creentur, nec centuriatis nec curiatis comitiis patres auctores fiant : Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in urbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. *Tanta dulcedo eſt ex alienis fortunis prædandi.* nec in mentem venit, altera lege ſolitudines vaſtas in agris fieri pellendo finibus dominos ; altera *fidem* abrogari, *cum qua omnis humana*

nn societas tollitur. Omnium terum causa vobis antiquandas censeo istas rogationes. Quod faxitis, Deos velim fortunate.

Ex septimo libro ab Urbe condita.

ORATIO SERVII TVLLII ad dictatorem, ut militibus pugnandi faceret potestatem.

ARGUMENTUM.

C. Sulpitius dictator, & M. Valerius magister equitum adversus Gallos, qui jam ad Pedum consederant, exercitus duos duxerant. Dictator non ausus primo adventu se belli fortunæ committere, trahebat bellum, vetando nequis injussu suo extra ordinem in hostem pugnaret. Milites ægre illud passi, multa jactabant in dictatorem, criminabanturque patres quod per dictatorem, non per consules rem geri placuisset. Tandem Servio Tullio septimo primipilo dant negotium ut ab imperatore pugnandi copiam impetraret. Is apud dictatorem hac oratione rem peragit.

SCILICET Dictator, condemnatum se universus exercitus à te ignaviæ ratus, & propè ignominiæ causa destitutum sine armis, oravit me ut suam causam apud te agerem. Equidem sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœde amissa objici nobis possent, tamen hoc à te impetrariæquum censerem, ut nos virtute culpam nostram corrigere, & *abolere flagitii memoriam nova gloriæ patereris.* Etiam ad Alliam fusæ legiones, eandem quam per pavorem amiserant patriam, profectæ postea ab Veiis virtute recuperavere. *Nobis deûm benignitate, felicitate tuâ populique Romani, & res & gloria est integra.* Quamquam de gloria vix dicere ausim, si nos & hostes haud secus quàm fœminas abditos intra vallũ omnibus contumeliis eludunt: & tu imperator noster, quod ægrius patimur, exercitum suum sine animis, sine armis, sine manibus,

judicas esse: & prius quàm expertus nos esses, de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares esse. Quid enim aliud esse causæ credamus, cur veteranus dux, fortissimus bello, *compressis* (quod ajunt) *manibus sedeas?* Utcunque enim res se habeat, te de nostra virtute dubitasse videri, quàm nos de tua verius est. Sin autem non tuum istud sed publicum est consilium, consensus aliquis patrum, non Gallicum bellum nos ab urbe, à penatibus nostris, ablegatos tenet, quæso, ut quæ dicam, non à militibus imperatori dicta censeas, sed à plebe patribus, quæ sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat milites nos esse, non servos vestros? ad bellum, non in exilium missos? si quis det signum in aciem educat, ut viris ac Romanis dignum sit, pugnaturos: si nihil armis opus sit, otium Romæ potius quàm in castris acturos. Hæc dicta sint patribus. Te, imperator, milites tui oramus, ut nobis *pugnandi copiam facias.* tum vincere cupimus; tum duce te vincere, tibi lauream insignem deferre, tecum triumphantes urbem inire. tuum sequentes currum Jovis optimi maximi templum gratantes ovantesque adire.

ORATIO

M. POPILII CONSULIS qua suos milites adhortatur.

ARGUMENTUM.

Scipione consule morbo implicito, M. Popilio collegæ ex plebe bellum permissum erat adversus Gallos, qui jam in agro Latino castra fixerant. Victoria belli ejus jam ad Romanos inclinata erat, quum consulis lævus humerus machæra prope trajicitur. Eo vulnere permoti languidique milites facti, jam propemodum certam victoriam amiserant, quum consul alligato vulnere ad prima signa progressus, in hæc verba militem adhortabatur.

QUID

QVID ſtas, miles? non cum Latino Sabinoque hoſte res eſt, quem victum armis ſocium ex hoſte facias. In belluas ſtrinximus ferrum, hauriendus aut dandus eſt ſanguis. Propulſtis à caſtris, ſupina valle præcipites egiſtis, ſtratis corporibus hoſtium ſuperſtatis. Complete eadem ſtrage campos, qua montes repleſtis. Nolite expectare dum ſtantes vos fugiant. inferenda ſunt ſigna, & vadendum in hoſtem.

ORATIO LEGATORVM CAMPANORVM in ſenatu, qua auxilium adverſus Samnites petunt.

ARGVMENTVM.

Samnites ſocietate atque amicitia cum Romanis junctí, Sidicinis injuſtum bellum inferebant: quibus quum Sidicini ſe impares viderent, Campanos ſocios belli aſciverant. Campani fluentes luxu, quum viribus non dimicarent, in agrum Sidicinum pelluntur. Quam rem quum Samnites animadverterent, omiſſis Sidicinis, in Campanorum oppida, unde plus prædæ atque gloriæ eſſet, bellum convertunt. Iamque cæſa erat multitudo magna iuvenum: qui ſuperfuerant, intra mœnia urbis Capuæ pulſi: quum Romam oratores quæſtum iniurias mittere coguntur, qui hunc in modum cauſam Campanorum egerunt.

POPVLVS nos Campanus legatos ad vos, P. C. miſit; amicitiam in perpetuum, auxilium præſens à vobis petitum quam ſi ſecundis rebus noſtris petiſſemus, ſicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta eſſet. Tunc enim, ut *qui ex æquo* nos veniſſe *in amicitiam* meminiſſemus, *amici* forſitan pariter ac nunc, *ſubjecti atque obnoxii* vobis *minus* eſſemus. Nunc miſericordia veſtra conciliati, auxilioque in dubiis rebus defenſi, *beneficium quoque acceptum colamus oportet, ne ingrati, atque omni ope divina humanaque indigni videamur.*

Neque hercule, quod Samnites priores amici ſocii-que vobis facti ſunt, ad id valere arbitror, ne nos in amicitiam ſuſcipiamur: ſed ut vetuſtate & gradu honoris nos præſtent. Neque enim fœdere Samnitium, ne qua nova jungeretis fœdera, cautum eſt. Fuit quidem apud vos *ſemper ſatis juſta cauſa amicitiæ, velle eum vobis amicum eſſe, qui vos appeteret.* Campani, etſi fortuna præſens magnificè loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate ulli populo, præterquam vobis cedentes haud parva (ut arbitor) acceſſio bonis rebus veſtris in amicitiam venimus veſtram. Æquis Volſciſque, æternis hoſtibus hujus urbis, quandocunque ſe moverint, ab tergo erimus: & quod vos pro ſalute te noſtra priores feceritis; id nos pro imperio veſtro & gloria ſemper faciemus. Subactis iis gentibus, quæ inter nos voſque ſunt, quod propediem futurum ſpondet & virtus & fortuna veſtra, continens imperium uſque ad nos habebitis. Acerbum & miſerum eſt quod fateri nos fortuna noſtra cogit. Eo ventum eſt, P. C. ut aut amicorum aut inimicorum Campani ſimus. ſi defenditis, veſtri: ſi deſeritis, Samnitium erimus. Capuam ergo, & Campaniam omnem veſtris an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem Romani, veſtram miſericordiam, veſtrumque auxilium æquum eſt patere, iis tamen maxime, qui eam implorantibus aliis auxilium dum ſupra vires ſuas præſtant, omnes ipſi in hanc neceſſitatem venerunt. Quamquam pugnavimus verbo pro Sidicinis, te pro nobis, quum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & ubi conflagraſſent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium eſſe. Nec enim nunc, quia dolent iniuriam acceptam Samnites, ſed quia gaudent ſibi oblatam eſſe cauſam oppugnatum nos veniunt. An ſi ultio iræ hæc, & non occaſio cupiditatis explendæ eſſet, parum fuit, quod ſemel in Sidicino agro, iterum in Cam-

Campania ipſa legiones noſtras cecidere? Quæ eſt iſta tam infeſta ira, quam per duas acies fuſus ſanguis explere non potuerit: Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum actas, incendia villarum ac ruinas, omnia ferro ignique vaſtata. Hiſcine ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda eſt. ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, aut ipſi poſſidere volunt. Sed vos potius, Romani, beneficio veſtro occupate eam, quam illos habere per maleficium ſinatis. Non loquor apud recuſantem juſta bella populum: ſed tamen ſi oſtenderitis auxilia veſtra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. Uſque ad nos contemptus Samnitium pervenit, ſupra non aſcendit, Itaque umbra veſtri auxilii, Romani, tegi poſſumus: quicquid deinde habuerimus; quicquid ipſi fuerimus; veſtrum id omne exiſtimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur: conditorum, parentum, deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia veſtra erit, quæ nos obſequio erga vos, fideque ſuperet. Annuite, P. C. nutum numenque veſtrum invictum Campanis, & jubete ſperare incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis proſequente creditis nos illinc profectos? quàm omnia votorum lacrymarumque plena reliquiſſe? in qua nunc expectatione ſenatum populumque Campanum, coniuges, liberoſque noſtros eſſe? ſtare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem proſpectantes, certum habeo, quid illis nos, P. C. ſolicitis ac pendentibus animis renuntiare jubeatis. *Alterum reſponſum ſalutem, victoriam, lucem ac libertatem:* alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde ut aut de veſtris futuris ſociis atque amicis, aut nuſquam ullis futuris nobis conſulite.

ORA-

ORATIO.

ROMANORVM, qua præcedenti Campanorum legatorum orationi respondent.

AVXILIO vos, Campani, dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam instituti par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt. itaque arma, Deos, prius quam homines violatura, adversus Samnites vobis negamus. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.

ORATIO

LEGATORVM CAMPANORVM, qua præcedenti Romanorum orationi respondent.

QVANDOQVIDEM nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certè defendetis. Itaq; populum Campanum urbemque Capuam, agros delubra deûm, Divina humanaque omnia in vestram, P. C. populique Romani ditionem dedimus; quicquid deinde patiemur, dedititii vestri passuri.

ORATIO

M. VALERII CORVINI qua suos adhortatur.

ARGUMENTUM.

Ad Samnites Campanorum nomine Romani legati missi, quum re infecta redirent, retulerunt à Samnitibus responsum, id se bellum perfecturos: atque quum adhuc illic essent, multis imperatum esse ut prædas ex agro Campano agerent. Senatus hic concitatus, feciali ad res repetendas, simul indicendum bellum misso, decrevit ut Valerius et Cornelius consules eo exercitus ducerent. Valerius contra Samnites profectus, in hunc modum milites ad pugnandum adhortabatur.

FACTA mea, non dicta, vos, milites, sequi volo: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam

etiam à me petere. Non factionibus modò, nec per conciones usitatas nobilibus, sed hac dextra mihi tres consulatus summamque laudem peperi. Fuit, quum hoc dici poterat: Patricius enim eras, & à liberatoribus patriæ ortus: & eodem anno familia ista consulatum, quo urbs hæc consulem habuit. Nunc jam nobis patribus vobisque plebejis promiscuus consulatus patet, *nec generis*, ut antè, *sed virtutis est præmium*. Proinde summum quodque spectate, milites, decus. Non si mihi novum hoc Corvini cognomē diis auctoribus homines dedistis, Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. Semper ergo plebem Romanam militiæ domique, privatus in magistratibus parvis magnisque, æquè tribunus ac consul, eodem tenore per omnes deinceps consulatus, colo atque colui. Nunc quod instat, Diis bene juvantibus, novum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.

ORATIO.

EXHORTATORIA P. DECII tribuni militum ad A. Cornelium consulem, quum spes elabendi non videretur.

ARGVMENTVM.

A. Cornelius consul exercitum in Samnium duxerat; ibi eo ipse tempore quo Valerius Corvinus collega Samnites vicit, milites incaute in saltum quendam cava valle pervium circaque ab hoste insessum induxerat, unde non prius hostem imminentem vidit, quàm jam tutò recipi signa non possent. Eum, necessitate illa territum, P. Decius trib. militum, qua esset erumpendum, ita docuit.

VIDESNE tu, A. Corneli, cacumen illud supra hostem? Arx illa est spei salutisque nostræ, si eam, quàm cæci reliquêre Samnites, impigrè capimus. Nec tu mihi plus quàm unius legionis principes hastatosque dederis. cum quibus ubi

ubi evaſero in ſummum ; perge hinc omni liber metu : teque & exercitum ſerva. Neque enim moveri hoſtis ſubiectus nobis ad omnes ictus ſine ſua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna populi Romani, aut noſtra virtus expediet.

ORATIO EJUSDEM P. DECII qua ſuos ad erumpendum ex colle occupato adhortatur.

ARGUMENTUM.

P. Decius tribunus militum, indicato loco conſuli quo, evaderet, cum præſidio ad collis verticem pervenerat. Eò Samnites diu multumque progredi conati, huc atque illuc ſigna vertebant : modo collem circumdabant, modo viam patefaciebant. Decius ſpe pugnandi deſtitutus , primum centuriones ad ſe vocat , quibus hoſtium inertiam exponit , deinde milites ad erumpendum adhortatur.

QVÆNAM illa inſcitia belli ac pigritia eſt? aut quonam modo iſti ex Sidicinis Campaniſque victoriam pepererunt? Huc atque illuc ſigna moveri, ac modo in unum conferri, modo educi videtis. Opus quidem incipit nemo ; cum jam circundati vallo potuerimus eſſe. tum verò nos ſimiles iſtorum ſimus , ſi diutius hic moremur, quam commodum ſit. Agitedum, ite mecum, ut dum lucis aliquid ſupereſt , quibus locis præſidia ponant , qua pateat hinc exitus , exploremus. *Hæc omnia , ſagulo gregali amictus , centurionibus item manipularium militum habitu ductis , ne ducem circumire hoſtes notarent , perluſtravit. Vigiliis deinde diſpoſitis, cæteris omnibus teſſeram dari jubet : ubi ſecundæ vigiliæ buccina datum ſignum eſſet , armati cum ſilentio ad ſe venirent. Quo ubi , ſicut edictum erat, taciti convenerunt ,* Hoc ſilentium , milites , *inquit,* omiſſo militari aſſenſu , in me audiendo ſervandum eſt. Ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt , in dexteram partem

tem taciti tranſibitis : *quæ pars maior erit, eius ſtabitur conſilio*. Nunc quæ mente agitem audire. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumvenit hoſtis, virtute cœpiſtis locum, virtute hinc oportet evadatis. Veniendo huc, exercitum egregium populi Romani ſervaſtis : erumpendo hinc, voſmet ipſos ſervate. Digni eſtis qui pauci pluribus opem tuleritis, ipſi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoſte res eſt, qui heſterno die delendi omnis exercitus fortuna per ſocordiam uſus non ſit, hunc tam opportunum collem imminentem capiti ſuo non antè viderit, quam captum à nobis : nos tam paucos tot ipſe millibus hominum nec aſcenſu arcuerit : nec tenentes locum, quum diei tantum ſupereſſet, vallo circumdederit. Quem videntem ac vigilantem ſic eluſeritis, ſopitum oportet fallatis, imo neceſſe eſt. *In eo enim loco res ſunt noſtræ, ut* ego vobis magis neceſſitatis veſtræ index, quàm conſilii auctor ſim. Neque enim maneatis, an abeatis hinc, deliberari poteſt, quum præter arma & animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit. fame & ſiti moriendum ſit, ſi plus quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una eſt ſalus, erumpere hinc, atque abire. Id aut interdiu aut nocte faciamus oportet. Ecce hoc aliud minus dubium. quippe ſi lux exſpectetur, quæ ſpes eſt, non vallo perpetuo foſſaque nos ſepturum hoſtem ? qui nunc corporibus ſuis ſubiectis undique cinxerit, ut videtis, collem. Atqui ſi nox opportuna eſt eruptioni, ſicut eſt, hæc profecto noctis aptiſſima hora eſt. Signo ſecundæ vigiliæ conveniſtis, quod tempus mortales ſomno altiſſimo premit. Per corpora ſopita vadetis, vel ſilentio incautos fallentes, vel ſentientibus clamore ſubito pavorem injecturi. Me modo ſequimini, quem ſequuti eſtis, ego eandem, quæ duxit huc, ſequar fortunam. Quibus hæc ſalutaria videntur, agitedum in dextram partem pedibus tranſite.

ORA-

ORATIO
M. VALERII CORVINI dictatoris ad conjuratores & seditiosos milites, qua dehortatur à pugna contra patriam.

ARGVMENTVM.

Deliniti milites Romani deliciis voluptatibusque quas abunde Campania administrabat, inibant consilia adimendæ Campanis Capuæ. Claudius Martius Rutilus consul ea re cognita, rumorem spargit per oppida ea Campaniæ per quæ milites ad præsidia dispersi erant. Idem suos in æstiva milites quum eduxisset, aliis aliisque causis dimittendi milites conflictis Romam mittebat: quos ibi collega remorabatur. Iam cæteri quum neminem ex iis qui dimittebatur, redire ad castra viderent, emanasse sua consilia rebantur: quum cohors una militum in saltu consedit, qui eos omnes quos consul mittebat, sibi adjungebat. Cui multitudini jam validæ quum nihil ad formam exercitus deesset præter ducem. T. Quintium quendam Romanum, quem colere agrum audiverant, sibi imperatorem deligunt, renitentemque imperare cogunt. Hoc duce jam ad octavum lapidem viæ progressi erant, ad inferenda Romanis arma, quum M. Valerium Corvinum dictatorem contra se venientem conspicientes, exspectandum esse censent. Ad colloquium deinde ventum est: ac prior Valerius in hæc verba eos pugna dehortatus est: T. Quintius deinde dux eorum.

DEOS immortales, milites, vestros publicos, meosque, ab urbe proficiscens ita adoravi, veniamque supplex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam darent. Satis fuit erit que unde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. Quod deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, ejus me compotem voti vos facere potestis; si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere.

si illos

ſi illos colles, quos cernitis, patriæ veſtræ eſſe, ſi hunc execritum, civium veſtrorum: ſi me conſulem veſtrum, cujus ductu anſpicioque priore anno bis legiones Samnitium fudiſtis, bis caſtra vi cepiſtis. Ego ſum M. Valerius Corvinus, milites, cujus vos *nobilitatem beneficiis erga vos non iniuriis ſenſiſtis*: nullius ſuperbæ in vos legis, nullius crudelis ſenatuſconſulti author: *in omnibus meis imperiis in me ſeverior quam in vos.* Ac ſi cui genus, ſi cui ſua virtus, ſi cui etiam majeſtas, ſi cui honores ſubdere ſpiritus potuerunt; iis eram natus, id ſpecimen mei dederam, ea ætate conſulatum adeptus eram, ut potuerim tres & viginti annos natus conſul patribus quoque ferox eſſe, non ſolum plebi. Quod meum factum dictumve conſulis gravius quàm tribuni audiſtis? Eodem tenore duos inſequentes conſulatus geſſi, eodem hæc imperioſa dictatura geretur: ut neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior, quàm in vos (horreo dicere) hoſtes. Ergo vos prius in me ſtrinxeritis ferrum, quàm in vos ego, iſtinc ſigna canent, iſtinc clamor prius incipiet atque impetus, ſi dimicandum eſt. Inducite in animum, quod non induxerunt patres avique veſtri? non illi, qui in Sacrum montem ſeceſſerunt, non hi, qui poſtea Aventinum inſederunt. Expectate dum vobis ſingulis, ut olim Coriolano, matres, conjugeſque crinibus paſſis obviæ ab urbe veniant. Tum Volſcorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieverunt: vos Romanus exercitus non deſtiteritis impio bello? T. Quinti, quocunque iſtic loco, ſeu volens ſeu invitus, conſtitiſti, ſi dimicandum erit, tum tu in noviſſimos te recipito: *fugeris* etiam *honeſtius, tergumque civi dederis, quam pugnaveris contra patriam.* Nunc ad pacificandum bene atque honeſte inter primos ſtabis, & colloquii hujus ſalutaris interpres fueris. Poſtulate æqua, & ferte, quanquam *vel iniquis ſtandum eſt potius, quam impias inter nos conſeramus manus.*

ORATIO

ORATIO
T. QVINTII DVCIS seditiosorum, qua eos ad concordiam exhortatur.

ME quoque, milites, si quis usus mei est, meliorem pacis quàm belli habetis ducem. Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus verba fecit, vester consul, vester imperator, milites: cujus auspicia pro vobis experti nolite adversus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum infestius, & alios duces senatus habuit: qui maximè vobis suis militibus parceret, cui plurimum vos imperatori vestro crederetis, eum elegit. *Pacem, etiam qui vincere possunt, volunt.* Quid nos velle oportet? quin, omissis ira & spe fallacibus auctoribus nos ipsos nostraque omnia cognitæ permittimus fidei?

Ex octavo libro ab urbe condita.

ORATIO
ANNII SETINI prætoris Latinorum, ad suos.

ARGVMENTVM.

Latini conjuncti cum Campanis aliisque populi, Samnitibus bellum inferebant: Samnites, quum Latini etiam superiores ex Samnio forte excessissent, tempus idoneum illud esse legationibus faciendis ad petendum auxilium rati, oratores Romam mittunt, qui sociorum injurias exponerent. Latinos tum Romani timebant ne arguendo abalienarent. Itaque primo arguere non ausi, deinde ubi de defectione certius cognoverunt, decem principes mandant, quibus imperarent quæ vellent. Prætor tum Latinorum erat L. Annius Setinus, qui delectus ad legationem, priusquam cum reliquis novem proficisceretur, ad senatum refert, quid Romanis responderi placeret, quod attineret ad ea quæ velle eos diceret. Aliud aliis sentientibus, sententia sua peracta, ita rursus loquutus est.

QUAM.

QUAMQUAM ipse ego retuli quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis. quàm quid loquenpum sit. *Facile erit, explicatis consiliis, accommodare rebus verba.* Nam si etiam nunc sub umbra fœderis æqui servitutem pati possumus; quid abest, quin proditis Sidicinis non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si fœdus est, si societas, æquatio juris est, si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet; si socialis illis exercitus is est, quo adjuncto duplicent vires suas, quem secernere? ab se consules bellis propriis ponendis sumendisque nolint; cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consultatur? *Vbi pars virium, ibi & imperii pars est.* Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplum: quippe concedentibus Romam caput Latio esse, sed ut amplum videri posset, diuturna patientia fecimus. Atqui siquando uuquam consociandi imperii, usurpandæ libertatis tempus optastis; en hoc tempus adest, & virtute vestra & deum benignitate vobis datum. Tentastis parientiam negando militem: quis dubitat exarsisse eos, quũ plus ducentorum annorum morem solveremus? pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellum nostro nomine cum Pelignis gessimus: qui ne nostrorum quidem finium nobis per nos tuendorum jus antea dabant; nihil intercesserunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab se ad nos desciisse, exercitus nos parare adversus Samnites fœderatos suos audierunt, nec moverunt se ab urbe. Unde hæc illis tanta modestia nisi à conscientia virium & nostrarum & suarum? Idoneos auctores habeo, quærentibus de nobis Samnitibus, ita responsum ab senatu Romano esse, ut facilè appareret, ne ipsos quidem jam postulare,

ſtulare, ut Latium ſub Romano imperio ſit. Uſurpate modo poſtulando eo, quod illi vobis taciti concedunt. Si quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipſe, audiente, non populo Romano modo ſenatuque, ſed Jove ipſo qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut ſi nos in fœdere ac ſocietate eſſe velint, conſulem alterum ab nobis, ſenatuſque partem accipiant.

ORATIO
ANNII EJUSDEM ad P. C. Romanorum, ut alter conſul ex Latinis fieret.

ARGVMENTVM.

Latini Annio permiſerant ut ageret ac diceret quæ è Rep. Latinorum, fideque ſua viderentur. Is in ſenatum cum cæteris legatis admiſſus, quum T. Manlium conſulem audiret ita de ea re agentem ut ne Samnitibus fœderatis Romanorum bellum à Latinis inferretur, confeſtim rem ipſam narrare in hanc formam ingreſſus eſt.

TEMPVS erat, Tite Manli, voſque, P. C. tandem jam vos nobiſcum nihil pro imperio agere, quum florentiſſimum deûm benignitate, nunc Latium armis viriſque, Samnitibus bello victis, Sidicinis Campaniſque ſociis, nunc etiam Volſcis adjunctis videretis: Colonias quoque veſtras Latinum Romano prætuliſſe imperium. Sed quoniam vos regno impotenti finem ut imponatis, non *inducitis in animum*; nos, quamquam armis poſſumus *aſſerere* Latinum *in libertatem*, *conſanguinitati tamen hoc dabimus*, *ut conditiones pacis* feramus æquas utriſque: quoniam vires quoque æquari Diis immortalibus placuit. Conſulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet: ſenatus partem æquam ex utraque gente eſſe: unum populum, unam Rempub. fieri, & ut imperii eadem ſedes ſit, idemque omnibus nomen quoniam ab alterutra parte concedi neceſſe eſt; quod utriſque bene vertat, ſit hæc ſanè patria potior, & Romani omnes vocemur.

ORA-

ORATIO
T. MANLII CONSVLIS ad legatos Latinorum.

ARGUMENTUM.

Hoc proximæ orationi cohæret. Ea Annii oratione T. Manlius adeo permotus irarumque plenus fuit, ut diceret, si id ipsum illud quod petierat, approbarent patres, se palam in senatu quencunque Latinum vidisset interfecturum. Conversus deinde ad simulacrum Iovis, ita rei atrocitatem & indignitatem referebat.

AUDI Jupiter hæc scelera, audite jus fasque! Peregrinos consules, & peregrinum senatum in tuo Jupiter augurato templo captus, atque ipse oppressus, visurus es? Hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris Latini: hæc L. Tarquinius vobiscum postea fœdera fecit? Non venit in mentem pugna apud Regillum lacum? adeo & cladium vestrarum veterum, & beneficiorum nostrorum erga vos obliti estis.

ORATIO
T. MANLII CONSVLIS ad T. Manlium filium, qua eum accusat quod in hostem ipsius injussu pugnavisset.

ARGUMENTUM.

Bello Latino, quod factum fuit quum Latini, non auditi de altero consule ex Latio creando, in Campaniam duxerant: consules, docti hostes lingua eadem, institutis, moribus uti, quibus Romani: milites item militibus, centuriones centuriombus congruere: edixerant nequis in hostem extra ordinem pugnaret. T. Manlius erat T. Manlii consulis filius, qui lacessitus à Geminio quodam Tusculano per contumeliam, congressus, equitem, à jugulo ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit, Manlius consul ea re cognita, filium pater, his verbis objurgatum, securi percussit.

QVAN-

QUANDOQUIDEM tu, Tite Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extraordinem in hostem pugnasti: & quantum in te fuit, *disciplinam* militarem, *qua stetit ad hanc diem Romana res*, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut Reipubl. mihi, aut mei meorumque oblivisci endum sit; *nos potius nostro delicto plectemur, quàm Respub. tanto suo damno nostra peccata suat.* Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem cum ingenita charitas liberum, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet. Sed quum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda; nec te quidem, si quid in te sanguinis nostri est, recusare censeam quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam pœna restituas. I lictor, deliga ad palum.

ORATIO

FVRII CAMILLI CONSVLIS ad patres de Latinis referentis.

ARGVMENTVM.

L. Furius Camillus & C. Menius consules, ad Pedum Latinorum oppidum expugnandum profecti, ita rem peregerant, ut Menius ad flumen Asturam Aricinos, aliasque qui auxilio Pedanis venerant, præter spem aggressus fuderit, Camillus oppidanis intra mœnia compulsis, oppidum scalis ceperit. Iis etiam insignibus victoriæ non contenti, longius progressi non prius quieverint, quàm aut expugnando aut in deditionem accipiendo civitates, totum Latium subegere. Camillus deinde Romam regressus, in senatu de Latinis ita retulit.

PATRES C. quod bello armisque in Latio agendum fuit, id jam Deum benignitate, ac virtute militum ad finem venit. Cæsi ad Pedum Asturamque

ramque sunt exercitus hostium. oppida Latina omnia, & Antium ex Volscis, aut vi capta, aut recepta in deditionem, præsidiis tenentur vestris. Reliqua consultatio, quoniam rebellando sæpius nos sollicitant, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dii immortales, ira vos potentes hujus consilii fecerunt, ut sit Latium deinde, an non sit, in vestra manu posuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel sæviendo, vel ignoscendo, potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos, victosque? licet delere omne Latium: vastas inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella magnaque sæpe usi estis. Vultis exemplo majorum augere rem Romanam, victos in civitatem accipiendo? Materia crescendi per summam gloriam suppeditat. *Certe id firmissimum longe imperium est, quo obedientes gaudent.* Sed *maturato opus est, quicquid statuere placet.* Tot populos *inter spem metumque suspensos animi* habetis: & vestram utique de iis curam quam primum absolvi, & illorum animos, dum exspectatione stupent, seu pœna, seu beneficio, præoccupari oportet. Nostrum enim fuit efficere, ut omnium rerum vobis ad consulendum potestas esset. vestrum est decernere quid optimum vobis Reique publicæ sit.

ORATIO

L. PAPIRII DICTATORIS, qua Fab. Maximum accusat quod adversus edictum pugnasset.

ARGVMENTVM.

Bellum geri adversus Samnites Romanis placebat: cui Camillus consul præficitur. Is gravi morbo redire Romam coactus, dictatorem dicit L. Papirium Cursorem, hic Q. Fabium Maximum magistrum equitum. At quum in Samnium incertis auspiciis dictator profectus, à pullario moneretur, ut Romam ad repetenda auspicia regrederetur edixerat

ne

ne interim magister equitum pugnam acciperet. Is tamen nactus fortè occasione bene gerendæ rei, acie cum hostibus confligit. Dictator non ita multo post victoriam rediens, his interrogationibus magistrum equitum increpabat, atque accusabat.

QVÆRO de te, Q. Fabi, quum summum imperium dictatoris sit, pareantque ei Consules, regia potestas, prætores iisdem auspiciis quibus consules creati; æquum censeas, necne, magistrum equitum dicto audientem esse? Itemque illud interrogo, quum me incertis auspiciis profectum ab domo scirem, utrum mihi turbatis religionibus Respub. in discrimen committenda fuerit, an auspicia repetenda, nequid dubiis Diis agerem? Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit; num ea magister equitum solutus ac liber potuerit esse? Sed quid ego hæc interrogo? quum si ego tacitus abiissem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua sententia fuerit. Quin tu respondes vetuerimur te quicquam rei me absente agere? vetuerimne signa cum hostibus conferre? Quo tu imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, adversus morem militarem, disciplinamque majorum, & numen Deorum, ausus cum hoste confligere? Ad hæc quæ interrogatus es, responde. extra ea cave vocem mittas, Accede lictor, accede.

ORATIO
M. FABII MAXIMI pro filio ad populum provocantis à dictatore.

ARGVMENTVM.

Hoc ad superius pertinent. Iam Papirius dictator spoliari Q. Fabium magistrum equitum se purgantem, virgasque & secures expediri jusserat, quum implorata militum fide ad triarios recipitur, qui in omnem concionem tumultum miscebant. Alii dictatorem orabant ut parceret, alii inclementem increpabant

pabant, Postero die Fabius adesse jussus, quum ab aliis didicisset infestius dictatorem sæviturum: clam ex castriis Romam profugit. Quod ubi Papyrius cognovit, Romam cum licloribus & ipse veniens, quum Fabium comprehendi juberet, primores patrum, quibus jam Fabii pater atrocitatem rei exposuerat, pro eo deprecabantur. At quum nihilo secius dictator in incepto perstaret, M. Fabius pater ita, pro filio ad populum se provocare, dixit.

QVANDOQVIDEM apud te nec authoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitasque magistri equitum te ipso nominati valet, nec *preces, quæ sæpe hostem mitigavere, quæ deorum iras placant*, tribunos plebis appello, & provoco ad populum. eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus judicium, judicem fero, qui certè unus plus quam dictatura tua potest polletque. Videro cessurusne provocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit.

ORATIO PAPYRII DICTATORIS, ad populum de absolutione Q. Fabii magistri equitum.

ARGVMENTVM.

Papyrius dictator post longam orationem, qua pater rei atrocitatem exaggerarat, etiam tum perstaturum se in cœpto dicebat: quum populus Romanus orare cœpit ut sibi pœna magistri equitum remitteretur: tribuni item plebis, ut veniam Q. Fabii adolescentiæ daret: pater provolutus ad genua irans deprecatus est. His atque aliis tandem motus, damnatum jam Q. Fabium his verbis populo Romano & tribunitiæ potestati se donare profitetur.

BENE habet, Quirites, vicit disciplina militaris, vicit imperii majestas. quæ in discrimine fuerunt, an ulla post hanc diē essent. Nō noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra dictum imperatoris pugnavit; sed noxæ damnatus, donatur populo

Romano, donatur tribunitiæ potestati; precarium non justum auxilium ferenti. Vive, Q. Fabi, felicior hoc consensu civitatis ad tuendum te, quam qua paulo ante exultabas victoria. Vive, id facinus ausus, cujus tibi ne parens quidem, si eodem loco fuisset, quo fuit L. Papyrius, veniam dedisset. Mecum ut voles, reverteris in gratiam: populo Romano, cui vitam debes, nihil majus præstiteris, quam si hic tibi dies satis documenti dederit, ut bello ac pace pati legitima imperia possis.

Ex nono libro ab Urbe condita.

ORATIO CLAUDII PONTII Samnitum imperatoris, postquam legatione nihil factum esse vidit,

ARGUMENTUM.

Victi Samnites quum de pace Romæ per legatos agerent, annuas modo inducias impetrarant, quas authore Brutulo Papyrio ante anni finem rumpunt. Eo prælio capti multi Romani, captæ sunt res multæ, quas non ita multo post rursus victi cum captivis remittunt, Papyriumq; mortuum, induciarum videlicet ruptorem, cum bonis, spe pacis faciendæ, dedunt. Legati re infecta redeunt: quod ubi Claudius Pontius Samnitum imperator cognovisset, superbiam inhumanitatemque Romanorum ita infectatus est.

NE nihil actum hac legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cælestium fuit. Satis scio, quibuscunque Diis cordi fuit, subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant: iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim ultrà fieri ad placandos Deos migrandosque homines potuit, quam quod fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli jure nostræ videbantur, remisimus: auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedimus; bona eorum, nequid ex contagione noxæ remaneret

maneret penes nos, Romam portavimus. Quid ultra tibi Romane, quid fœderi, quid diis arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? Neminem neque populum neque privatum fugio. Quod si nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi, at ego ad Deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam, & precabor, ut iras suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint: quorum sævitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditionem exsatient: placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem, laniandaque viscera nostra præbuerimus. *Iustum est bellum, Samnites, quibus necessarium: pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Proinde, quum rerum humanarum maximum momentum sit, quàm propitiis rem, quàm adversis agant Diis; pro certo habere, priora bella adversus Deos magis, quàm homines gessisse: hoc, quod instant, ducibus ipsis Diis gesturos.

ORATIO

L. LENTULI PRINCIPIS legatorum Romanorum ad exercitum & consules, qua suam de deditione sententia exponit.

ARGUMENTUM.

Inter duos saltus clausus erat Romanus exercitus, unde fraude hostium libere erumpere ac evadere non potuisset. Timor torporque insolitus omnes sæpe inde elabi frustra conatos tenebat: jamque omnium rerum inopia laborabatur, quum victi necessitate legatos ad Samnites de pace mittunt. Legati conditiones tristes à Samnitibus latas referunt, pro quibus, vel contra quos, velut indignas nomine Romano, quum consules loqui non auderent, tum L. Lentulus princeps legatorum, quid censeat faciendum, in hanc sententiam exposuit.

PATREM meum, Consules, sæpe audivi memorantem, se in Capitolio unum fuisse authorem senatui redimendæ auro à Gallis civitatis, quando nec fossa valloque ab ignaviſſimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent? & erumpere sc non sine periculo magno, tamen sine certa pernicie possent. Quod si ut illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpe modo obsessi in obsidentes eruperunt) ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset, non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem *mortem pro patria præclaram* esse fateor: & me vel devovere pro populo Romano legionibusque, vel in medios me immittere hostes paratus sum. Sed hic patriam video: hic quicquid Romanarum legionum est, quæ nisi pro se ipsis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte sua servent? Tecta urbis, dicat aliquis & mœnia, & eam turbam, à qua urbs incolitur. Imo hercule produntur magis omnia deleto hoc exercitu, nõ servantur. Quis enim ea tuebitur? imbellis videlicet atque inermis multitudo, tam hercule, quàm à Gallorum impetu defendit. An à Vejis exercitum, Camillumque ducem implorabunt? Hic omnes spes opesque sunt: quas servando patriam servamus: dedendo ad necem, patriam deserimus, ac prodimus. At fœda atque ignominiosa deditio est. Sed ea charitas patriæ est, ut tam ignominia eam quam morte nostra, si opus sit, servemus. Subeatur ergo ista quantacunque est indignitas: & *pareatur necessitati, quam ne Dii quidem superant.* Ite consules, redimite armis civitatem, quam auro majores vestri redemerunt.

ORATIO
SP. POSTHVMII CONSVLIS, qui sub jugum missus erat, in senatu de pace ad Caudium facta.

ARGVMENTVM.

Pace ad Caudium cum Samnitibus facta per sponsionem

nem consulum, præfectorum, quæstorum, tribunorum militum, quum tempus constitutum adveniret, traditi obsides in custodiam abducti sunt. Consules deinde, lictoribus per hostes cum fascibus abire iussis, detractisque paludamentis, prope seminudi sub iugum missi; quas sequebantur, ut quisque gradu proximus erat, singulæ simul legiones. Circumstabant armati hostes, exprobantes eludentesque per contumeliam. Ipsum illud tam fœdum spectaculum in eo ipso saltu exhibitum fuit, unde erumpere non potuerant: ex quo abire jussi, quum ante noctem Capuam pervenire possent, incerti tamen de fide sociorum, pudoreque prohibiti, humi haud procul Capua prosternuntur. Quod ubi Capuam allatum est, tum demum miseratione victi Campani, magistratibus insignia, singulis arma, equos, vestimenta, commeatus ex publico comiter impendunt: venientibus tota civitas obviam egressa. Postero die Romam contendere placuit. Nocte ingressi habitu vultuque captorum, in sua se quisque tecta taciti abdunt: unde, pudore suffusi, nec posterò nec in sequentibus aliquot diebus in publicum prodierunt. Omnia interim luctuosa mœstaque in urbe erant. Ita interjectis aliquot diebus, tandem cum de pace ad Caudium facta referri placuit, tum à P. Philone consule Sp. Posthumius, alter consulum eorum qui sub iugum missi fuerant, dicere jussus, ita rem exposuit.

HAVD sum ignarus. Consules, ignominiæ nō honoris causa me primū excitatum jussumq; dicere, non tanquam senatorē, sed tanquam reum qua infelicis belli, qua ignominiosæ pacis. Ego tamen, quando neque de noxa nostra, neque de pœna retulistis, omissa defensione, quæ non difficillima esset apud haud ignaros fortunarum humanarum neceſſitatumque, sententiam de eo, de quo retulistis, paucis peragam quæ sententia testis erit, mihine, an legionibus vestris pepercerim, quum me seu turpi seu necessaria sponsione obli-

xi. Qua tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus Romanus: nec quicquam ex ea, præterquam corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per feciales, nudi vinctique. exsolvamus religione populum siqua obligavimus: nequid divini humanive obstet, quominus justum piumque de integro ineatur bellum. Interea consules, exercitum scribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hostium fines, quàm omnia justa in deditionem nostram perfecta erunt. Vos, Dii immortales, precor quæsoque, si vobis non fuit cordi Sp. Posthumium, T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere: at vos satis habeatis, vidisse nos sub jugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosque hostibus deditos; omnem iram hostium nostris capitibus excipientes. Novos consules legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.

ORATIO
EJVSDEM SP. POSTHVMII contra tribunos plebis qui deditionem impediebant.

ARGUMENTUM.

Hoc conjunctum cum priore oratione. Sp. Posthumius placere dixerat, ut authores sponsionis pacisque Caudinæ nudi vinctique dederentur. L. Livius & Q. Metellus tribuni pleb. erant, ad quos pars ejus deditionis pertinebat. Ii itaque intercedendo contendebant, sua deditione populum Romanum religione exsolvi non posse, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, redderentur: se item, quum sacrosancti sint, dedi hostibus violarique nec posse nec debere. Quæ quum ab illis jactari Sp. Posthumius audiret, ita rationes eorum confutabat.

INTEREA dedite profanos nos, quos salva religione potestis. Dedetis deinde & istos sacrosanctos, quum primum magistratu abierint, sed

sed, si me audiatis prius quam dedantur, hic in comitio virgis cæsos, hanc jam ut intercalatæ pœnæ usuram habeant. Nam quod deditione nostra negant exsolvi religione populum, id istos magis ne dedantur quam quia ita se res habeat, dicere, ecquis adeo juris fœcialium expers est, qui ignoret? Neque ego infitias eo, P. C. *tam sponsiones, quam fœderæ sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur*: sed *injussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat.* An si eadem superbia, qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coëgissent nos verba legitima dedentium urbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis? & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas, Samnitium esse? Omitto deditionem, quoniam de sponsione agitur. Quid tandem, si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum, si leges non habiturum? si sub regibus futurum? Dii meliora, inquis! Atqui non indignitas rerum sponsionis vinculum levat. Siquid est, in quod obligari populus possit, in omnia potest. & ne illud quidem, quod quosdam forsitan moveat, refert consul an dictator, an prætor spopondit. & hoc ipsi etiam Samnites judicaverunt: quibus non fuit satis consules spondere, sed legatos, quæstores, tribunos militum spondere coegerunt. Nec à me nunc quisquam quæsiverit, quid ita spoponderim: quum id nec consulis jus esset, nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, possem. Nihil ad Claudium, P. C. humanis consiliis gestum est. Dii immortales, & vestris & hostium imperatoribus mentem ademerunt: nec nos in bello satis cavimus; & illi *male partam victoriam male perdiderunt*: dum vix locis quibus vicerant, credunt, dum quacunque conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana mens

fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandum arcessunt, mittere Romam legatos, cum senatu, cum populo de pace fœdere agere? Tridui iter expeditis erat. Interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem adferrent. Ea demum sponsio esset, quam populi jussu spopondissemus. Sed neque vos tulissetis, nec nos spopondissemus: nec fas fuit alium rerum exitum esse, quàm ut & illi velut somnio lætiore, quàm quod mentes eorum capere possent, nequicquam eluderentur, & nostrum exercitum eadem quæ impedierat fortuna, expediret. Vanam victoriam vanior irritam faceret pax, sponsio interponeretur, quæ neminem præter sponsorem obligaret. Quid enim vobiscum, P. C. quid cum populo Romano actum est? quis vos appellare potest? quis se à vobis dicere deceptum? Hostis? an civis? Hosti nihil spopondistis, civem neminem spondere pro vobis jussistis. Nihil ergo vobis, nec nobiscum est, quibus nihil mandastis: nec cum Samnitibus, cûm quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus, rei satis locupletes in id, quod nostrum est, in id, quod præstare possumus, corpora nostra, & animos. In hæc sæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet, consulite, utrum præsens deditio eorum fieri possit, an in diem differatur. Nos interim, T. Veturi, vosque cæteri, vilia hæc capita luendæ sponsionis feramus, & nostro supplicio liberemus Romana arma.

ORATIO
CORNELII ARVINÆ fecialis ad Samnites in deditione sponsorum pacis.

ARGVMENTVM.

Consilio ac sententia Sp. Posthumii patres adducti, per feriales dedi hostibus sponsores jubent. Iam ventum erat in cœtum Samnitium, & ad tribunal C. Pontii, quum veste detracta manibusque post tergum vinctis, A. Cornelius Arvina fœcialis, sponsores pacis hostibus hac verborum forma dedere cœpit. QVAN.

QVANDOQVE hice homines, injussu populi Romani, Quiritum fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxa nocuerunt: ob eam rem, quo popul. Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo.

ORATIO.

CLAVDII PONTII Samnitium regis, qua fœciali respondit.

ARGUMENTUM.

Hoc ad proximam orationem pertinet. Sp. Posthumius inter verba deditionis genu fœcialis femur quanta maxima vi potuit, percutit, dicens se Samnitem esse civem: à se quum prætor sus legatus Romanus violatus sit, eo justius bellum gesturos. Pontius verò quum hoc factum animadvertisset, deditionem se accepturum ita negavit.

NEC ego istam deditionem accipiam, nec Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Posthumi, si Deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti populo omnes, quos in potestate habuit, aut pro iis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te nunc captum victori cum qua potes fide restituis? Populum Romanum appello, quem si sponsionis ad Furcas Caudinas factæ pœnitet, restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt. Nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in castra sua. Quicquid *pridie* habuerunt *quàm in* colloquium est ventum, habeant. tum bellum & fortia consilia placeant. tunc sponsio & pax repudietur. Ea vero fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum. nec populus Romanus consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Nunquàm ne causa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis; furto eos subduxistis: Auro civitatem à Gallis redemistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. Pacem nobiscum pepigistis, ut legio-

nes vobis captas reſtitueremus; eam pacem irritam facitis, & ſemper aliquam fraudi ſpeciem juris imponitis. Non probat populus Romanus ignominioſa pace legiones ſervatas? Pacem ſibi habeat, legiones captas victori reſtituat: Hoc fide, hocfœderibus, hoc fœcialibus ceremoniis dignum erat, ut tu quidem quod petiſti per pactionem habeas, tot cives incolumes: ego pacem, quam hoſti tibi remittendo pactus ſum, non habeam: Hoc tu, A. Corneli, hoc vos fœciales juris gentibus dicitis? Ego veto iſtos, quos dedi ſimulatis, nec accipio, nec dedi arbitror, nec moror, quo minus in civitatem obligatam ſponſione commiſſa, iratis omnibus Diis, quorum eluditur numen, redeant. gerite bellum, quando Sp. Poſthumius modo legatum fœcialem genu perculit. Ita Dii credent Samnitem civem Poſthumium non civem Romanum eſſe, & à Samnite legatum Romanum violatum: eo vobis juſtum in nos factum eſſe bellum. Hæc ludibria religionem non pudere in lucem proferre, & vix pueris dignas ambages ſenes ac conſulares fallendæ fidei exquirere? I lictor, deme vincula Romanis.] moratus ſit nemo, quo minus ubi viſum fuerit, abeant.

ORATIO
Q. FABII DICTATORIS, qua ſuos ad eruptionem hortatur.

ARGVMENTVM.

Gerebatur bellum Q. Fabio dictatore duce adverſus Samnites; ad quos, poſt aliquot bella in Appulia geſta, Sora oppidum defecerat. Potiti oppido colonos Romanorum interficiunt. Quod ubi eſt perlatum in caſtra, tum demum Romani ad ulciſcendam civium necem, recuperandamque coloniam contendunt. Ad Lanculas diu ancipiti prælio pugnatum eſt, donec incertos utri victi an victores eſſent, nox diremit. Dictator poſt pugnam quum ſuos intra vallum iam aliquot dies obſeſſi magis quam obſidentis modo continuiſſet, ad eruptionem ſic adhortabatur.

LOCII

LOCIS angustis, milites, deprehensi, nisi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus. Stativa nostra munimento satis tuta sunt, sed inopia eadem infesta. Nam & circà omnia defecerunt, unde subvehi commeatus poterant: & si homines juvare velint, iniqua loca sunt. Itaque non frustrabor ego vos, castra hic relinquendo, in quæ infecta victoria, sicut pristino die, vos recipiatis. *Armis munimenta, non munimentis arma tuta esse debent.* Castra habeant repetantque, quibus operæ est trahere bellum: nos omnium rerum respectum, præterquam victoriæ, nobis abscindamus. Ferte signa in hostem: ubi extra vallum agmen excesserit, castra quibus imperatum est, incendant. damna vestra, milites, omnium circa, qui defecerunt populorum præda sarcientur.

ORATIO
C. MENENII DICTATORIS, quando in eum ambitus crimen jactum est à nobilibus.

ARGVMENTVM.

Conjurationes principum Capuæ factæ, authoribus & capitibus mortuis, Romam tandem versæ sunt. Quæstionibus exercendis C. Menenius dictator dictus erat: à quo quum postularentur ad dicendam causam nobiles viri, primum tribunos plebis appellabant: deinde quum ea via nihil proficerent quin nomina darent, tum demum id crimen vociferantur, non nobilium, sed novorum esse, nominibus indicatis, dictatore atque magistro equitum: quod compertum iri affirmabant, ubi magistratum abiissent. Tum Menenius dictator hac oratione nihil se morare dixit quo minus eo ipso die abdicato magistratu causam inter eos diceret.

ET omnes anteactæ vitæ vos conscios habeo, Quirites, & hic ipse honos delatus ad me, testis est innocentiæ meæ. Neque enim quod sæpe aliàs, quia ita tempora postulabant Reipub. qui bello clarissimus esset, sed qui maxime procul ab his

his coitionibus vitam egisset, dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit. Sed quoniam quidam nobiles homines (qua de causa, vos existimare, quã me pro magistratu quicquam incompertum dicere melius est) primùm ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt, deinde, postquam ad id parum potentes erant, ne causam dicerent, in præsidia adversariorum, appellationem & tribunitium auxilium, patricii confugerunt. postremo repulsi inde (adeo omnia tutiora, quàm ut innocentiam suam purgarent, visa) in nos irruerunt, & privatis dictatorem poscere reum verecundiæ non fuit: ut omnes Dii hominesque sciant, ab illis, etiam quæ non possint, tentari, ne rationem vitæ reddant: me obviam ire crimini, & offerre me inimicis reum, dictatura me abdico. Vos quæso Consules, si vobis datum ab senatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Fossium quæstiones exerceatis, ut appareat innocentia nostra, nos non majestate honoris tutos à criminationibus istis esse.

ORATIO
P. SEMPRONII Tribuni plebis adversus Ap. Claudium, qui se intra legitimum tempus censura abdicare nolebat.

ARGVMENTVM.

Appius Claudius censor erat, qui quum lege Æmilia circumactis decem & octo mensibus, abire magistratu deberet, nec lege nec exemplo collegæ, nec vi ulla cogi poterat ut se abdicaret. Cavillabatur autem, neminem ea lege teneri, qui post eam latam creatus fuisset. Eius magistratus finiendi P. Sempronius tribunus plebis actionem susceperat, qui susceperat, qui superbiam insolentiamque Appii apud populum ita criminatus est.

EN, Quirites, illius Appii progenies, qui decemvir in annum creatus, altero anno se ipse creavit; tertio, nec ab se, nec ab ullo creatus,

tus, privatus fasces & imperium obtinuit, nec antè continuando abstitit magistratu, quàm *obruerunt eum malè parta, malè gesta, malè retenta imperia.* Hæc est eadem familia, Quirites, cujus vi atque injuriis compulsi extorres patria Sacrum montem cepistis: hæc, adversus quam tribunitium auxilium vobis comparastis: hæc, propter quam duo exercitus Aventinum insedistis: hæc, quæ fœnebres leges, hæc quæ agrarias semper impugnavit: hæc connubia patrum & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit: hoc est nomen multo quam Tarquiniorum, infestius vestræ libertati. Itane tandem, Appi Claudi, quum centesimus jam annus sit ab Mamerco Æmilio dictatore, tot censores fuerint nobilissimi fortissimique viri, nemo eorum duodecim tabulas legit? nemo id jus esse, quod postremo populus jussisset, scivit? Imo vero omnes sciverunt & ideo Æmiliæ potius legi paruerunt quam illi antiquæ; qua primum censores creati erant; quia hanc postremum jusserat populus, & quia *ubi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat nova.* An hoc dicis Appi, non teneri Æmilia lege populum, an populum teneri, te unum ex legem esse? Tenuit Æmilia lex violentos illos censores, C. Furium & M. Geganium, qui, quid iste magistratus in Repub. malè facere posset, indicarunt, quum ira finitæ potestatis Mamercum Æmilium Principem ætatis suæ belli domique, ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spatium, tenet C. Plautium collegam tuum, iisdem auspiciis, eodem jure creatum. An hunc nō utqui optimo jure censor creatus esset, populus creavit? tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare valeat. Quem tu regem sacrificiorum crees, amplexus regium nomen, ut qui optimo jure rex Romæ creatus sit, creatum se dicat? quem semestri dictatura, quem interregno quinque dierum contentum fore putes? quem clavi figendi,

aut

aut ludorum causa dictatorem audacter crees? Quàm isti stolidos ac socordes videri creditis eos, qui intra vicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicaverunt, aut qui vitio creati abierunt magistratu? quid ego antiqua repetam? Nuper intra decem annos C. Mænius dictator, quia quum quæstiones severius, quam quibusdam potentibus tutum erat, exerceret, contagio ejus, quod quærebat, ipsi criminis obiectata ab inimicis est: ut privatus obviam iret crimini, dictatura se abdicavit. Nolo ego istam in te modestiam: ne degeneraveris à familia imperiosissima & superbissima: non die, non hora citius, quam necesse est, magistratu abieris, modo ne excedas finitum tempus. Satis est aut diem aut mensem censuræ adjicere. Triennium, inquit, & sex menses ultra quam licet Æmilia lege, censuram geram, & solus geram. Hoc quidem jam regno simile est. An collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est? Pœnitet enim quod antiquissimum solemne, & solum ab ipso, cui fit, instituturum Deo, ab nobilissimis antistitibus ejus sacri ad servorum ministerium religiosus censor deduxisti: gens antiquior originibus urbis huius, hospitio Deorum immortalium sacra, propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe extincta est; nisi universam Rempub, eo nefario obstrinxeris; quod ominari etiam reformidat animus. Urbs eo lustro capta est, quo, demortuo collega C. Julio censore L. Papirius Cursor, ne abiret magistratu M. Cornelium Maluginensem collegam subrogavit. Et quanto modestior illius cupiditas fuit, quam tua, Appi? nec solus, nec ultra finitum lege tempus L. Papirius censuram gessit, tamen neminem invenit qui se post ea authorem sequeretur. omnes deinceps censores post mortem collegæ se magistratu abdicarunt. Te nec quod dies exiit censuræ, nec quod collega magistratu abiit, nec lex, nec pudor coërcet. Virtutem in superbia, in audacia,

cia, in contemptu Deorum hominumque ponis. Ego te, Ap. Claudi, pro istius magistratus majestate ac verecundia quem gessisti, non modo manu violatum, sed ne verbo quidem inclementiori à me appellatum vellem. Sed & hæc quæ adhuc egi, pervicacia tua & superbia coëgit me loqui: & nisi Æmiliæ legi parueris, te in vincula duci jubebo: nec quum *ita comparatum à majoribus* sit, ut comitiis censoris, nisi duo confecerint legitima suffragia, non renunciato altero, comitia differantur, ego te, qui solus censor creari non possis, solam censuram gerere patiar.

Ex decimo libro ab Urbe condita.

ORATIO P. DECII MURIS CONSULIS ad populum, qua suadet ut ex plebe augures & pontifices fiant.

ARGUMENTUM.

Iam ad omnes magistratus & honores plebejis quoque exceptis sacerdotiis, aditus patebat, quum tribuni plebis rogationem promulgant, ut quum ad id tempus quatuor tantum augures, quatuor item pontifices fuissent, quinque deinceps augures, & quatuor Pontifices, & ex plebe omnes, allegerentur. Rogationem eam ægre passi patres, quatenus ex plebe allegerentur. jactabant ea sacra violari & pollui. De suadenda dissuadendaque rogatione dis inter Ap. Claudium & P. Decium Murem certatum est. Decius, multis ante deparente suo Decio consule, qui se pro legionibus devoverat commemoratis quæ ad rem pertinebant, hoc pacto rogationem suasit.

QUod quum ita se habeat, cui deorum hominumve indignum videri potest, eis viris, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoraveritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis, pontificalia

lia atque auguralia insignia adjicere? Qui Jovis optimi maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium ascenderit, si conspiciatur cum capie ac lituo, capite velato victimam cædet, auguriumve ex arce capiet? Cujus imaginis titulo consulatus, censuraque & triumphus, æquo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adjeceritis, non sustinebunt legentium oculi? Equidem (pace dixerim Deûm) eos nos iam populi Romani beneficio esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris, quàm acceperimus, & Deorum magis, quam nostra causa expetamus, ut quos privatim colimus, publicè colamus. Quid autem ego sic adhuc egi, tanquam integra sit causa patriciorum de sacerdotiis. & non iam in possessione unius amplissimi simus sacerdotii? Decemviros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri ceremoniarumque aliarum plebejos videmus? nec tum patriciis ulla iniuria facta est, quum duumviris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus: & nunc tribunus, vir fortis ac strenuus, quinque augurum loca, quatuor pontificum adiecit; in quæ plebeii nominentur: non ut vos, Appii vestro loco pellant; sed ut adiuvent vos homines plebeii divinis quoque rebus procurandis, sicut in cæteris humanis pro parte virili adiuvant. Noli erubescere, Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti: cuius tam dictatoris magister equitum, quam magistri equitum dictator esse potes. Sabinum advenam principem nobilitatis vestræ, seu Actium Clausum, seu Ap. Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt. Ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere, Multa nobiscum decora adferimus, imo omnia eadem, quæ vos superbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe consul est factus.

factus. Caius Licinius Stolo primus magiſter equitum, C. Martius Rutilius primus & dictator & cenſor, Q. Publius Philo primus prætor. Semper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe, vos ſolos gentes habere, vos ſolos juſtum imperium & auſpicium domi militæque; que adhuc proſperum plebeium, ac patricium fuit, porroque erit. An Romæ unquam *fando audiſtis*, patricios primo eſſe factos. non de cælo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent: id eſt, nihil ultra quàm ingenuos? Conſulem jam patrem cire poſſum, avumque iam poteris filius meus. Nihil eſt aliud in re, Quirites, niſi ut omnia negata adipiſcamur. Certamen tantum patricii petunt, nec curant quem eventum certaminum habeant. Ego hanc legem quod bonum, faustum felixque ſit, vobis ac Reipub. uti rogas, jubendam cenſeo.

VERBA
Q. FABII MAXIMI conſulis deſignati ad populum.

ARGVMENTVM.

Illuſtres forteſque viri conſulatum petebant, quum omnium centuriarum conſenſu ad Q. Fabium primò non petentem, deinde etiam recuſantem imperium deferunt. Is cauſatus ætatem, multoſque nominans præclaros ac fortes duces, perſtabat in recuſando: ad poſtremum legem recitari juſſit, quæ cavebatur, ne quis conſul reficeretur intra decem annos. Abduci nihilominus ubi centurias vidit non poſſe, quin conſul declaretur, victus perſeverantia, ita omnes rogabat, ut ſibi liceret quem vellet collegam ſubrogare.

DIi approbent quod agitis, acturique eſtis, Quirites. Cæterum quoniam in me, quod vos vultis, facturi eſtis, in collega ſit meæ apud vos gratiæ locus. Publium Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente ſuo, quæſo, mecum conſulem faciatis.

VER-

VERBA VIRGINIÆ IN DEDICATIONE aræ Pudicitiæ plebejæ.

ARGVMENTVM.

Senatus in biduum propter visa prodigia supplicationes decreverat. Quum forte in sacellum Pudicitiæ supplicatum iretur, certamine orto inter matronas, Virginia A. patricii quidem filia, cæterum L. Volumnio consuli plebejo nupta, iis sacris arcebatur, quod quum à patribus ad plebem transisset, nefas patriciæ matronæ ducerent, si in fanum ingressa esset, quod solis (ut jactabant) patriciis patebat. Ea ibi gloriata, quod & patricia & pudica in patriciæ Pudicitiæ templum ingressa esset, matrona uni viro nupta, quum esset virgo: quum non ita multo post in eo vico ubi habitabat, ex parte ædium quod satis loci esset parvo sacello excluisset, aram ibi positam, vocatis plebejis matronis, in hæc verba Pudicitiæ plebejæ dedicavit.

HAnc ego aram Pudicitiæ plebejæ dedico: vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas sit. detisque operam, ut hæc ara quam illa, si quid potest, sanctioribus & castioribus coli dicatur.

Ex vicesimo primo libro ab urbe condita.

ORATIO HANNONIS AD CARTHAGINIENSES contra Annibalem de fœdere rupto.

ARGUMENTUM.

Factiones erant duæ inter Carthaginienses ortæ: altera Barchinorum qui ad Annibalem imperium deferendum censebant: altera aliorum, cujus princeps Hanno erat. Is Annibali rerum summam tradendam non putabat: sed potius continendum eum domi sub legibus, dicendumque vivere cum cæteris æquo jure sub magistratibus: ne is, velut parvus ignis, incendium ingens quandoque excusciaret. Ac jam cum Asdrubale populus Romanus fœdus renovaverat, ut amnis Iberus imperii Romani &

Cartha

Carthaginiensium terminus esset, Saguntinisque mediis libertas servaretur. Maior jam tum pars vicerat, ut Annibal præficeretur bello, iamque ipse Saguntum summa ope oppugnabat, quum à Saguntinis legati de auxilio Romam mittuntur. Romani oratores eo ipso nomini missi, nec admissi ab Annibale, nec auditi sunt. Ac quum Carthaginem conquestum de fœdere rupto ituros acciperet, literas nuntiosque ad principes Barchinæ factionis præmisit, quibus eos monebat ut suorum animos præpararent, nequid factio altera pro Romanis gratificaretur. Porro iam Carthaginem legati Romanorum pervenerant, quum Hanno ipse alterius factionis princeps, in senatu de re quæ contigerat, ita sententiam peregit.

IUvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem; si ex bellis bella serendo, succinctus armis legionibusque vivat, velut materiam igni præbentes, ad exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur fœdere: mox Carthaginem circumsidebunt Romanæ legiones ducibus iisdem Diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt ulti. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos à sociis, & pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex fœdere repetunt. Publica fraus absit: authorem culpæ, & reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segnius incipiunt; eo, quum cœperint, vereor ne perseverantius sæviant. Ægides insulam Erycemque ante oculos proponite, quæ terra marique per quatuor & viginti annos passi sitis: nec puer hic duxerat, sed pater ipse Amilcar; Mars alter, ut isti volunt. Sed Tarento tum in Italia non abstinueramus ex fœdere: sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo

Dii

Dii hominesque, & id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset; eventus belli, velut æquus judex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas turresque admovet: Carthaginis mœnia quatit ariete. Saguntī ruinæ (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident: susceptumque cum Saguntis bellum, habendum cum Romanis est. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis. Scio meam levem esse in eo authoritatem, propter paternas inimicitias, sed & Amilcarem eo periisse lætatus sum, quod si ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus: & hunc iuvenem tanquam furiam facemque huius belli, odi ac detestor. nec dedendum solum ad piaculum rupti fœderis, sed si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras: ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaque eius accedere, nec solicitare quietæ civitatis statum possit. Ego autem ita censeo legatos extemplo Romam mittendos, qui senatui satisfaciant: alios, qui Annibali nuntient ut exercitum ab Sagunto abducat, ipsumque Annibalem ex fœdere Romanis dedant: tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

ORATIO
ALOREI HISPANI ad Saguntinos, qua pacis conditiones quas Annibal ferebat, exponit.

ARGVMENTVM.

In summa Saguntinorum desperatione, Alcon Saguntinus inconsciis cæteris ad Annibalem transiit, spe atque consilio agendi de pace. Quæ res in causa fuit ut quum tristes conditiones deferret Annibal, quos certo sciebat ille cæteros non accepturos, non ausus redire, apud hostem maneret. Tum forte Aloreus Hispanus sub Annibale quidem militabat, exterum Saguntinis veteri amicitia atque hospitio iunctus: is pro Alcone interpres Saguntium ingressus

greſſus, veteribus amicis in hanc ſententiam conditiones expoſuit.

SI civis veſter Alcon, ſicut ad pacem petendam ad Annibalam venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retuliſſet, ſupervacaneum hoc mihi fuiſſet iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos veniſſem. Quum vero ille, aut veſtra aut ſua culpa manſerit apud hoſtem; ſi metum ſimulavit, ſua; veſtra, ſi periculum eſt apud vos, vera referentibus, ego, ne ignoraretis eſſe aliquas & ſalutis & pacis vobis conditiones, pro vetuſto hoſpitio, quod mihi vobiſcum eſt, ad vos veni. Veſtra autem cauſa me, nec ullius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides ſit, quod neque dum veſtris viribus reſtitiſtis, neque dum auxilia à Romanis ſperaſtis, pacis unquam apud vos mentionem feci. Poſtquam nec à Romanis vobis ulla ſpes eſt, nec veſtra iam aut arma vos, aut mœnia ſatis defendunt, pacem affero ad vos magis neceſſariam quam æquam: cujus ita aliqua ſpes eſt, ſi eam, quemadmodum ut victor fert Annibal, ſic vos ut victi audiatis: ſi non id quod amittitur in damno, (quum *omnia victoris* ſint) ſed quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis, Urbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totam habet, adimit: agros relinquit; locum aſſignaturus in quo novum oppidum ædificetis. Aurum agentumque omne, publicum privatumque ad ſe iubet deferri: coniugum, veſtraque corpora, ac liberorum veſtrorum ſervat inviolata, ſi inermes cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire. Hæc victor hoſtis imperat. Hæc quamquam ſint gravia atque acerba, fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero, quum omnium poteſtas ei à vobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſurum. Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora veſtra, rapi trahique ante ante ora veſtra coniuges ac liberos belli iure ſinatis.

ORA-

ORATIO CVJVSDAM CARTHAGINIENSIS qua legatis Rom. de consilio oppugnationis Sagunti respondet.

ARGVMENTVM

Legati Romani Romani Carthagine redeuntes, quum quæ responsa à Carthaginiensibus quæque Saguntiagerentur, referrent: uno omnes consensu copias in Africam & Hispaniam ducendas esse censebant. Vt tamen omnia justa ante bellum fierent, legatos rursus Carthaginem mitti placuit, qui percontarentur, publiconè an privato consilio Saguntum Annibal oppugnasset: si faterentur, ac defenderent; publico tum demum justum indicerent bellum. Iam dato senatu Q. Fabius princeps legatorum percontatus erat, quum ex Carthaginiensibus unus ita respondit.

VAna Romani, & prior legatio fuit, quum Annibalem tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis: Cæterùm hæc legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. Tunc enim Annibal & insimulabatur, & deposcebatur. nunc à nobis & confessio culpæ exprimitur; & ut à confessis, res extemplò repetuntur. Ego autem, non, privato publiconè consilio Saguntum oppugnatum sit, quærendum censeo: sed utrum jure, an iniuria. Nostra enim hæc quæstio atque animadversio in civem nostrum est; nostro, an suo fecerint arbitrio. vobiscum una disceptatio est, licueritnè per fœdus fieri. Itaque, quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant; nobis vobiscum fœdus est à Luctatio consule ictum, in quo cavetur de utrorumque sociis: nihil de Saguntinis (nec dum enim erant socii vestri) cautum est. At enim eo fœdere, quod cum Asdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur, adversus quod nihil ego dicturus sum, nisi quod à vobis didici, Vos enim quod C. Luctatius consul primo nobiscum

eum fœdus icit, quia neque authoritate patrum, nec populi iussu ictum erat, negastis vos eo teneri. itaque aliud de integro fœdus publico consilio ictum est. Si vos non tenent vestra fœdera, nisi ex authoritate aut iussu vestro icta; nec nos quidem Asdrubalis fœdus, quod nobis insciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, & quod diu parturit animus vester, aliquando pariat.

ORATIO VOLSCIANORVM qua legatis Romanorum respondent.

ARGVMENTVM.

Hoc ad superius pertinet. Legatis mandatum erat, ut Carthagine in Hispaniam transirent ad avertendos à Pœnis animos sociorum, retinendosque in fide & societate Romanorum. Iis à Barguſtani ad Volſcianos transeuntibus, hoc datum est responsum.

QUæ verecundia est, vos, Romani, postulare, ut vestram Carthaginensium præponamus amicitiæ, quum, qui id fecerunt, Saguntinos crudelius quàm Pœnus hostis perdidit, vos socii prodideritis? Ibi quæratis socios censeo, ubi Saguntina clades ignota est. Hispanis populis sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruinæ; ne quis fidei Romanæ aut societati confidat.

ORATIO ANNIBALIS ad Hispanos milites.

ARGUMENTUM.

Annibal, Sagunto capto, Carthaginem novam in Hyberna conceſſerat: ibi quum audiſſet quæ de ſe Carthagine ac Romæ dicta decretaque forent, ſe videlicet non ducem belli modo, ſed cauſam: partitis ac divenditis reliquis prædæ, ad ſe Hiſpanos milites convocavit, quibus conſilium ſuum de transferendo bello ita exponeret.

CRedo ego vos, socii, & ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniæ populis, aut finiendam nobis

bis militiam, exercitusque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum. Ita enim hæ gentes, non pacis solum, sed etiam victoriæ bonis florebunt, si ex aliis gentibus prædam & gloriam quæremus. Itaque quum longinqua ab domo instet militia, incertumque sit, quando domos vestras, & quæ cuique ibi chara sint, visuri sitis; si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do: Prima vere edico adsitis, ut Diis bene juvantibus, bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus.

ORATIO P. SCIPIONIS suos adhortantis.

ARGVMENTVM.

P. Scipio ad ostium Rhodani congressus cum hoste, cæsis fere utrinque paribus, subito Numidarum pavore atque fuga victoriam obtinuerat. Exercitus ejus victoris maximam partem Cn. Scipioni fratri tradidit ducendum in Hispaniam adversus Asdrubalem. Profectus non multo post navibus Pisas, exercitum tironem adhuc & trepidum à Manlio Atilioque accipit, spe atque consilio cum hoste ad Padum confligendi. Itaque ubi in conspectum hostium Pœnorum ventum est, hac oratione militum animos ad egregie pugnandum adhortabatur.

SI eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. Quid enim adhortari referret, aut eos equites, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent: aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem sequutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus Hispaniæ provinciæ scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit; ego, ut consulem ducem adversus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli. Novo imperatori apud novos milites pauca verba facienda sunt,

ſunt. Ne genus belli, neve hoſtem ignoretis; cum iis eſt vobis, milites, pugnandum, quos terra marique priore bello viciſtis: à quibus ſtipendium per viginti annos exegiſtis, à quibus capta belli præmia, Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illiſque animus, qui victoribus & victis eſſe ſolet. Nec nunc illi, quia audent, ſed quia neceſſe eſt, pugnaturi ſunt: Niſi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos duabus partibus peditum equitumque in tranſitu Alpium amiſſis, (quum plures pene perierint quàm ſuperſunt) plus ſpei nactos eſſe. At enim pauci quidem ſunt, ſed vigentes animis corporibuſque, quorum robora ac vires vix ſuſtinere vis ulla poſſit. Effigies, imò umbræ hominum; fame, frigore, illuvie, ſqualore enecti, contuſi ac debilitati inter ſaxa rupeſque, ad hæc, peruſti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quaſſata fractaque arma: claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi eſtis, reliquias extremas hoſtium, non hoſtes habebitis. Ac nihil magis vereor quàm ne antequam vos cum hoſte pugnaveritis, Alpes viciſſe Annibalem videantur. Sed ita forſitan decuit, cum fœderum ruptore duce ac populo Deos ipſos, ſine ulla humana ope, comittere ac profligare bellum: nos autem, qui ſecundum Deos violati ſumus, commiſſum ac profligatum conficere. Non vereor nequis me hoc veſtri adhortandi cauſa magnifice loqui exiſtimet; ipſum aliter animo affectum eſſe. Licuit mihi in Hiſpaniam provinciam meam ire, quo jam profectus eram cum exercitu meo: ubi & fratrem conſilii participem; ac periculi ſocium haberem, & Aſdrubalem, potius quàm Annibalem hoſtem, & minorem haud dubie molem belli: Tamen quum prætraverherer navibus Galliæ oram; ad famam hujus hoſtis in terram egreſſus, præmiſſo equitatu ad Rhodanum movi caſtra. Equeſtri prælio, qua parte copiarum

conſerendi manum fortuna data eſt, hoſtem fudi, peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia aſſequi terra non poteram, regreſſus ad naves quanta maxima celeritate potui, tanto maris terrarumque circuitu in radicibus Alpium obvius fuit. Huic timendo hoſti utrum quum declinarem certamen, improviſus videor incidiſſe, an occurrere in veſtigiis ejus? laceſſere, ac trahere ad decernendum? Experiri juvat, utrum alios certe derepente Carthaginienſes per viginti annos terra ediderit: an iidem ſint, qui ad Ægades pugnavere inſulas, & quos ab Eryce duodevicenis denariis æſtimatos emiſiſtis & utrum Annibal hic ſit æmulus itinerum Herculis, ut ipſe fert, an vectigalis, ſtipendiariuſque & ſervus populi Romani à patre relictus: quem niſi Saguntinum ſcelus agitaret, reſpiceret profecto, ſi non patriam victam, domum certè, patremque & fœdera Amilcaris ſcripta manu, qui juſſus à conſule noſtro, præſidium deduxit ab Eryce: qui graves impoſitas victis Carthaginienſibus leges fremens mœrenſque accepit, qui decedere Sicilia, qui ſtipendium populo Romano dare, pactus eſt. Itaque vos, ego, milites, non eo ſolum animo, quo adverſus alios hoſtes ſoletis, pugnare velim: ſed cum indignatione quadam atque ira; velut ſi ſervos videatis veſtrosarma repente contra vos ferentes, Licuit, ſi voluiſſemus, ad Erycem clauſos ultimo ſupplicio humanorum, fame interficere. Licuit claſſem victricem in Africam trajicere, atque intra paucos dies ſine ullo certamine Carthaginem delere: veniam dedimus precantibus: emiſimus ex obſidione; pacem cum victis fecimus, tutelæ noſtræ deinde duximus, quum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis, furioſum juvenem ſequentes, oppugnatum patriam noſtram veniunt. Atque utinam pro decore nobis hoc tantum, & non pro ſalute eſſe certamen. Non de poſſeſſione Siciliæ ac Sardiniæ, de quibus quondam ageba-

agebatur, sed pro Italia nobis est pugnandum: nec est alius à tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliæ sunt, quas dum superat, comparari nova possint præsidia. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana mœnia pugnemus. Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem ac liberos parvos armis protegere putet, nec domesticas solum agitet curas, sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus senatum populumque Romanum, qualis nostra vis virtusque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.

ORATIO ANNIBALIS suos adhortantis.

ARGVMENTVM.

Annibal in transitu Alpium barbaros multos bellum inferre volentes ceperat, quos in vinculis habuit: adhortaturus milites ad pugnam, eorum barbarorum multa paria congredi, detractis vinculis, armato more Gallico, in conspectu militum ex industria jubet: quibus aliquanto post dimissis, in hæc verba suos adhortatus est.

SI quem animum in alienæ sortis exemplo paulo antè habuistis, eundem mox in æstimandis fortuna vestra, habueritis; vicimus milites: Neque enim spectaculum modo illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat. Ac nescio an majora vincula, majoresque necessitates vobis, quàm captivis vestris, fortunâ circumdederit. Dextra lævaque duo maria claudunt; nullam ne ad effugium quidem, navem habentibus: circa Padus amnis major ac violentior Rhodano, à tergo Alpes urgent; vix integris vobis ac vigentibus transitæ: Hic vobis vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis; & eadem fortuna quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à Diis quidem immortalibus optare

ſolent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus noſtris ereptas, noſtra virtute recuperaturi eſſemus, ſatis tamen ampla pretia eſſent. Quicquid Romani tot triumphis partum congeſtumque poſſident; id omne noſtrum cum ipſis dominis futurum eſt. In hanc tam opimam mercedem agite, cum Diis bene juvantibus arma capite. Satis adhuc in vaſtis Luſitaniæ Celtiberiæque montibus pecora conſectando; nullum emolumentum tot laborum periculorumque veſtrorum vidiſtis, tempus eſt jam opulenta vos ac ditia ſtipendia facere, & magna operæ pretia mereri; tantum itineris per tot montes fluminaque, & tot armatas gentes emenſos, hic vobis terminum laborum fortuna dedit, hic dignam mercedem emeritis ſtipendiis dabit. Nec quàm magni nominis bellum eſt, tam difficilem exiſtimaveritis victoriam fore. *Sæpe & contemptus hoſtis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regeſque perlevi momento victi ſunt.* Nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid eſt, cur illi vobis comparandi ſint? Ut viginti annorum militiam veſtram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano, terminiſque ultimis terrarum, per tot ferociſſimos Hiſpaniæ & Galliæ populos vincentes huc perveniſtis: Pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipſa æſtate cæſo, victo, circumſeſſo à Gallis, ignoto adhuc duci ſuo, ignoranteque ducem, An me in prætorio patris, clariſſimi imperatoris, prope natum, certè educatum, domitorem Hiſpaniæ Galliæque, victorem eundem, non Alpinarum modò gentium, ſed ipſarum, quod multo majus eſt Alpium, cum ſeneſtri hoc conferam duce, deſertore exercitus ſui? Cui ſi quis demptis ſignis Pœnos Romanoſque hodie oſtendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus ſit Conſul. Non ego illud parvi æſtimo, milites, quod nemo veſtrum eſt, cujus non ante

ante oculos ipſe ſæpe militare aliquod ediderim facinus : cui non idem ego virtutis ſpectator ac teſtis. Notata temporibus locisque referre ſua poſſim decora, mecum laudatis, milites, donatisque. Alumnus prius omnium veſtrum, quam imperator, procedam acie adverſus ignotos inter ſe, ignoranteſque. Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris : veteranum peditem, generoſiſſimarum gentium equites frenatos & infrenatos : vos ſocios fideliſſimos fortiſſimoſque, vos Carthaginienſes, tum ob patriam, tum ob iram juſtiſſimam pugnaturos. Inferimus bellum, infeſtiſque ſignis deſcendimus in Italiam ; *tanto audacius fortiuſque pugnaturi, quanto major ſpes majorque eſt animus inferentis vim quàm arcentis. Accendit præterea animos & ſtimulat dolor, injuria, indignitas.* Ad ſupplicium depoposcerunt me ducem primum ; deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnaſſetis, deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. Crudeliſſima ac ſuperbiſſima gens. ſua omnia ſuique arbitrii facit. cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, ſe modum imponere æquum cenſet : circumſcribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus : neque eo quos ſtatuit, terminos obſervat. Ne tranſieris Iberum : nequid rei tibi ſit cum Saguntinis, ad Iberum eſt Saguntum : nuſquam te veſtigio moveris. Parum eſt, quod veterrimas provincias meas Siciliam & Sardiniam adimis. etiam Hiſpanias ? & inde ceſſero, in Africam tranſcendens. Tranſcendens autem dico ? duos conſules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hiſpaniam miſerunt. Nihil uſquam nobis relictum eſt, niſi quod armis vindicaverimus. Illis timidis & ignavis licet eſſe qui receptum habent, quos ſuus ager, ſua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient : vobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, & omnibus inter victoriam

ctoriam mortemve certa desperatione abruptis; aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga, mortem opperere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est; iterum dicam, vicistis: nullum incitamentum ad vincendum homini à Diis immortalibus acrius datum est.

Ex vicesimo secundo libro ab Urbe condita.

ORATIO
M. MINVTII RVFFI magistri equitum, qua in Q. Fabii Maximi dictatoris cunctationem acriter invehitur.

ARGVMENTVM.

Q. Fabius Maximus dictator missus cum legionibus adversus Annibalem, per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut nec omitteret eum, neque congrederetur. M. Minutius Ruffus magister equitum erat, ferox rapidusque in consiliis, ac lingua immodicus: is primum inter paucos, deinde palam consilium prudentiamque dictatoris eludebat atque reprehendebat, pro cunctatore segnem eum, pro cauto timidum appellans. Forte per id tempus Maharbalem in agrum Falernum Annibal prædatum miserat quem, quum in castra perlatum esset populari usque ad Sinuessas aquas, tum demum Fabius per juga montis Massici exercitum ducens, haud procul hoste castra ponit. Hinc verò quum facile tecta colonorum Romanorum & domus ab hostibus incendi perurique viderentur, nec tum quidem ulla pugnæ mentio esset: idem Ruffus magister equitum in dictatorem hæc jactare cœpit.

SPectatumne huc, ut rem fruendam oculis, sociorum cædes & incendes venimus? nec si nullius alterius nos, nec civium quidem horum pudet? quos in Sinuessam colonos patres nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta hæc ora esset; quam nunc non vicinus Samnis urit, sed Pœnus ad-

advena, ab extremis orbis terrarum terminis, noſtra cunctatione & ſocordia jam huc progreſſus. Tantum (proh dolor!) degeneramus à parentibus noſtris, ut præter quam oram illi Punicas vagari claſſes, dedecus eſſe imperii ſui duxerint, eam nos nunc plenam hoſtium Numidarumque ac Maurorum jam factam videamus? Qui modo Saguntum oppugnari indignando, non homines tantum, ſed fœdera & Deos ciebamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti ſpectamus. Fumus ex incendiis villarum agrorumque in oculos atque ora venit, ſtrepunt aures clamoribus plorantium ſociorum; ſæpius nos, quam Deorum invocantium opem. Nos hic pecorum more per æſtivos ſaltus deviaſque colles exercitum ducimus; conditi nubibus ſylviſque. Si hoc modo peragrando cacumina ſaltuſque Furius recipere à Gallis urbem voluiſſet, quo hic novus Camillus nobis dictator unicus in rebus afflictis quæſitus. Italiam ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma eſſet: quam vereor, ne ſic cunctantibus nobis Annibali ac Pœnis toties ſervaverint majores noſtri. Sed *vir, ac vere Romanus*, quo die dictatorem cum ex authoritate patrum juſſuque populi dictum, Vejos allatum eſt, quum eſſet ſatis altum Janiculum, ubi ſedens proſpectaret hoſtem, deſcendit in æquum; atque illo ipſo die media in urbe, qua nunc buſta Gallica ſunt, & poſtero die, citra Gabios, cecidit Gallorum legiones. Quid? poſt multos annos, quum ad furculas Caudianas ab Samnite hoſte ſub jugum miſſi ſumus? utrum tandem L. Papirius Curſor, juga Samnii perluſtrando, an Luceriam premendo, obſidendoque, & laceſſendo victorem hoſtem, depulſum ab Romanis cervicibus jugum ſuperbo Samniti impoſuit; Modo conſuli Luctatio quæ alia res, quam celeritas, victoriam dedit? quod poſtero die quàm hoſtem vidit, claſſem gravem commeatibus, impedimentam ſuomet ipſam

instrumento atque apparatu, oppressit, *Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse. armari copias oportet, deducendas in æquum, ut vir cum viro congrediatur. Audendo atque agendo res Romana crevit, non hûs segnibus consiliis, quæ timidi causa vocant.*

ACEDVCIS HISPANI ad Bostorem pro obsidibus verba.

ARGVMENTVM.

Obsides Annibal cunctis civitatibus imperabat, quos ut quemque accipiebat, Saguntì custodiæ tradebant. Id modo Hispanorum in populum Romanum animos remorari ratus Acedux, Hispanus quidem cæterum Romanis socius, init consilium de remittendis in suas civitates obsidibus. Bostar præfectus Saguntinis forte castra extra Saguntum in ipso littore habebat, quo Acedux ipse quum venisset, eum monebat, quum ad eam diem metus Hispanorum animos continuisset, quia procul Romani abfuissent, qui tum cis Iberum erant, gratia devinciendos esse ac beneficio. Bostari vero quærenti quonam tandem beneficio devinciendi essent, in hanc sententiam ipse respondit.

OBsides in civitates remitte. Id privatim parentibus, quorum maximum nomen in civitatibus est suis, & publice populis gratum erit. *Vult sibi quisque credi, & habita fides ipsam plerunque obligat fidem.* Ministerium restituendorum domos obsidum mihimet deposco ipse, ut opera quoque impensa consilium adiuvem meum, & rei suapte naturâ gratæ, quantam insuper gratiam possim, adjiciam.

FABII DICTATORIS de temeritate Minutii verba.

ARGVMENTVM.

Æquatum erat plebiscito Minutii magistri equitum imperium dictaturæ Fabii Maximi, Quod postquam

quam in caſtra Roma eſt allatum literis & ſermone multorum, Minutius immodice gloriatus cum Fabio de imperandi ratione agebat, an per vices alter imperaret, an uterque, partitis copiis. Partiri tandem copias placuit, vix Fabio conſentiente. Ita partem copiarum Minutius adverſus Annibalem ducens, paulo poſt in eum locum pervenit, unde per inſidias hoſtium fugere ac elabi ſine magna cæde ſuorum non poſſet. Fabius eis tempore ipſo auxilio veniens, ita de Minutii temeritate locutus eſt.

ITa eſt, non celerius quam timui, *deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio, Annibalem & virtute & fortuna ſuperiorem videt.* Sed aliud jurgandi ſuccenſendique tempus erit. Nunc ſigna extra vallum proferte. *victoriam hoſti extorqueamus, confeſſionem erroris civibus.*

ORATIO
MINVTII MAGISTRI equitum, qua ſuos ad conjungenda cum Fabio caſtra adhortatur.

ARGVMENTVM.

Minutius magiſter equitum cum exercitu periclitatus, quum ſe ſuoſque Fabii virtute ac diligentia ſervatos eſſe intelligeret, temeritatem ſuam agnoſcens, de conjungendis caſtris cum Fabio, ita cum ſuis agebat.

SÆpe ego *audivi*, milites, *eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit, ſecundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſciat eum extremi ingenii eſſe.* Nobis quoniam prima animi ingeniique negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus: & *dum imperare diſcimus, parere prudenti in animum inducamus.* Caſtra cum Fabio jungamus ad prætorium ejus ſigna quum tulerimus, ubi ego eum parentem appellavero, quod benefi-

cio ejus erga nos ac majestate ejus dignum est; vos, milites; eos, quorum vos modo arma dextraque texerunt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorum certè nobis animorum gloriam dies hæc dederit.

MINVTII VERBA ad Fabium dictatorem.

ARGUMENTUM.

Conjunctum hoc est cum priore. Iam milites ad dictatoris castra proficiscentes, omnum animos in admirationem converterant, quum Minutius prior Fabium patrem appellat, milites deinde patronos eos qui dictatoris imperio parebant. Minutius inde ita cum Fabio verba fecit.

PArentibus meis, dictator, (quibus te modo nomine, quo fando possum, æquavi) vitam tantum debeo: tibi, quum meam salutem, tum omnium horum. Itaque plebeiscitum, quo oneratus magis quàm honoratus sum, primus antiquo, abrogoque: & quod tibi mihique, quod meo exercituique tuo servato ac conservatori sit felix, sub imperium auspiciumque tuum redeo, & signa hæc, legionesque restituo. Tu quæso, placatus me magistrum equitum, hos ordinibus suis quemque teneri jubeas.

ORATIO

FABII MAXIMI ad Æmilium de Varrone, & ratione pugnandi cum hoste.

ARGVMENTVM.

C. Terentius Varro, & L. Paulus Æmilius consules creati quum contra Annibalem copias ducere pararent. Varro concionem forte habuerat qua bellum in Italiâ à nobilibus accersitù esse jactabat, quod nunquam restinguendum esset, si Respub. plures Fabios imperatores haberet: se vero ipsum illud profligaturum, seu ad finem prope deducturum, quo primùm die hostem videret. Quod quum Fabius cognovisset, Paulum Æmilium ad se vocat, quem in hanc sententiam de collega temeritate rationeque hostem aggrediendi alloquutus est.

SI

SI aut collegam (id quod mallum) tui ſimilem' Luci Æmili, haberes aut tu collegæ tui ſimilis eſſes, ſupervacanea eſſet oratio mea. nam & duo boni conſules, etiam me tacente, omnia è Repub. fide veſtra faceretis; & mali, nec mea verba auribus veſtris, nec conſilia animis accipereris. Nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio eſt: quem video nequicquam & virum bonum, & civem fore, ſi altera parte claudicet Reſpub. malis conſiliis idem ac bonis juris & poteſtatis erit. Erras enim L. Paule, ſi tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Annibale futurum cenſes: neſcio an infeſtior hic adverſarius, quam ille hoſtis maneat: & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: & adverſum Annibalem legioneſque ejus tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi eſt. Varro dux tuis militibus te eſt oppugnaturus. Ominis etiam tibi cauſa abſit C. Flaminii memoria. tamen ille conſul demum, & in provincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quam peteret conſulatum, deinde in petendo conſulatu: nunc quoque conſul, prius quam caſtra videat, aut hoſtem, inſanit. Et qui tantas jam nunc procellas, prælia atque acies jactando inter togatos ciet, quid inter armatam iuventutem cenſes facturum, & ubi exemplo verba res ſequitur? Atqui ſi hic, quod facturum ſe denuntiat, extemplo pugnaverit; aut ego rem militatem, belli hoc genus, hoſtem hunc ignoro, aut nobilior alis Thraſymeno locus noſtris cladibus erit. Nec glorandi tempus adverſus unum eſt: ut ego contemnendo potius quàm appetendo gloriam, modum exceſſerim; Sed ita res habet una ratio belli gerendi adverſus Annibalem eſt, qua ego geſſi: nec *eventus* modo hoc docet, *ſtultorum* iſte *magiſter eſt*; ſed eadem ratio quæ fuit, futuraque donec eædem res manebunt,

manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro omnia circa plena civium ac sociorum sunt, armis, viris, equis commeatibus juvant, juvabuntque, id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. *Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit.* Annibal contra, in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque; procul à domo, procul à patria. neque illi terra, neque mari est pax: nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia: nihil usquam sui videt: in diem rapto vivit. partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit; plures fames, quàm ferrum absumpsit, nec his paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo, quin eum sedendo superaturi simus, qui senescat indies, non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quamdiu pro Gerionis, castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus? Sed ne adversus te quidem ego gloriabor. Cn. Servilius atque Attilius, proximi consules, vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via, L. Paulle, quam difficilem infestamque cives sibi magis quam hostes facient. Idem enim tui, quod hostium milites, volent: idem Varro consul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus resistas oportet, resistes autem adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit à veritate. *laborare nimis jus sæpe ajunt, exstingui nunquam. Gloriam, qui sprevit, veram habebit.* Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent: *malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Omnia audentem contemnet Annibal: nil temere agentem metuet.* Nec ego, ut nihil agatur, moneo, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna: Tuæ potestatis semper, tuaque omnia sint. *Armatus intentusque sis, neque occasioni*

occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara, certaque erunt, festinatio, improvida est, & cæca.

ORATIO

P. SEMPRONII TVDITANI tribuni militum, qua suos ad erumpendum adhortatur.

ARGVMENTVM.

Cannensi clade, quum mortuo paulo Æmilio consule, Varro collega Venusinam cum quinquaginta equitibus profugisset: binis in castris inermis multitudo, quæ superfuerat pugnæ, sive ducibus erat. Itaque eos qui in minoribus erant castris, alii monent ut nocte, dum hostis gravi somne detinetur, ad se transirent, Canusium inde tacite ac sine mora uno agmine abituros. Forte P. Sempronius Tuditanus tribunus militum in minoribus castris erat, qui quum de transitu ab aliis aliter sentiri videret, ita suos ad erumpendum adhortatur.

CAPI ergo mavultis ab avariſſimo & crudeliſſimo hoſte, æſtimarique capita veſtra pretio & exquiri ab interrogantibus, Romanus civis ſis, an Latinus ſocius? ut ex tua contumelia & miſeria alteri honos quæratur? non tu: Siquidem vos Lucii Æmilii conſulis, qui ſe *bene mori, quam turpiter vivere maluit*, & tot fortiſſimorum virorum, qui circa eum cumulati jacent, cives eſtis. Sed antequam opprimat lux, majoraque hoſtium agmina obſepiant iter: per hos, qui inordinati atque incompoſiti obſtrepunt portis, erumpamus, *ferro atque audacia via fit, quamvis per confertos hoſtes.* Cuneo quidem hoc laxum atque ſolutum agmen, ac ſi nihil obſtet, tranſibimus. Itaque ite mecum, qui & voſmetipſos & Rempublicam ſalvam vultis.

ORA-

ORATIO CAPTIVORUM Cannenſi clade Roman. ad patres.

ARGUMENTUM.

Hoc cum proximè præcedente conjunctum eſt. Milites Romani qui ex minoribus caſtris conſilio eorum qui erant in majoribus, exhortatione inſuper P. Sempronii Tuditani, cum ipſo erumpere noluerant, in poteſtatem hoſtium ſimul cum caſtris venerunt. Ex iis decem paulo poſt jure jurando adigit Annibal, ſi miſſi Romam non redimerentur, ad hoſtem reditu ros. Ita Romani adactos eos mittit, ut aurum in redemptionē ſuam impetrarent. Propoſitum autem fuit pretium in capita, equiti quingeni quadrigati nummi, pediti trecenti, ſervo centum. Profecti, ita cauſam ſuam apud patres egerunt.

PATRES conſcripti, nemo veſtrum ignorat, nulli unquam civitati viliores fuiſſe captivos, quam noſtræ: cæterum niſi nobis plus juſto noſtra placet cauſa non alii unquam minus negligendi vobis, quàm nos, qui in hoſtium poteſtatem venerunt. Non enim in acie per timorē arma tradidimus, ſed quum prope ad noctem ſuperſtantes cumulis cæſorum corporum prælium extraxiſſemus, in caſtra recepimus nos; diei reliquum ad noctem inſequentem feſſi labore ac vulneribus vallum ſumus tutati. Poſtero die quum circumſeſſi ab exercitu victore aqua arceremur, nec ulla alia jam per confertos hoſtes erumpendi ſpes eſſet, nec eſſe nefas duceremus; quinquaginta millibus hominum ex acie noſtra trucidatis; aliquem ex Cannenſi pugna Romanum militem reſtare; tum demum pacti ſumus pretium, quo redempti dimitteremur: arma, in quibus nihil jam auxilii erat, hoſti tradidimus. Maiores noſtros quoque acceperamus ſe à Gallis auro redemiſſe; & patres noſtros, aſperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum miſſiſſe. Atque

que in Italia cum Gallis & ad Heracleam cum Pyrrho, utroque non tam clade infamis, quàm pavore & fuga, pugna fuit. Cannenſes campos acervi Romanorum corporum tegunt: nec ſuperſumus pugnæ niſi in quibus trucidandis & ferrum & vires hoſtem defecerunt. Sunt etiam de noſtris quidam, qui nec in acie quidem refugerunt, ſed præſidio caſtris relicti, quum caſtra traderentur, in poteſtatem hoſtium venerunt. Haud equidem ullius civis aut commilitonis fortunæ aut conditioni invideo, *nec premendo alium, me extuliſſe velim*: ne illi quidem niſi pernicitatis pedum & curſus aliquod præmium eſt) qui plerique inermes ex acie fugientes, non prius quàm Venuſiæ aut Canuſii conſtiterunt, ſe nobis merito prætulerint gloriatique ſint in ſe plus quam in nobis præſidii Reipub. eſſe; Sed illis ut bonis ac fortibus militibus utemini; & nobis jam promptioribus pro patria, quod beneficio veſtro redempti, atque in patriam reſtituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis: octo millia ſervorum armari audio: non minor numerus noſter eſt, nec maiori pretio redimi poſſumus, quàm hi emuntur. Nam ſi conferam nos cum illis, injuriam nomini Romano faciam. Illud etiam in tali conſili animadvertendum vobis cenſeam, P. C. ſi tamen duriores eſſe velitis, quo nullo noſtro merito faciatis, cui nos hoſti relicturi ſitis. Pyrrho videlicet? qui nos hoſpitum numero habuit captivos, an barbaro, ac Pœno? qui utrum avarior an crudelior ſit, vix exiſtimari poteſt. Si videatis catenas, ſqualorem, deformitatemque civium veſtrorum, non minus profecto vos ea ſpecies moveat, quàm ſi ex altera parte cernatis ſtratas Cannenſibus campis legiones veſtras. Intueri poteſtis ſolicitudinem & lacrymas in veſtibulo curiæ ſtantium cognatorum noſtrorum, exſpectantiumque reſponſum veſtrum. Quum ii pro nobis, proque iis qui abſunt, ita ſuſpenſi

ac ſoliciti ſint? quem cenſeris animum ipſorum eſſe, quorum in diſcrimine vita libertaſque eſt? Si medius fidius ipſe in nos mitis Annibal contra naturam ſuam eſſe velit. nihil tamen nobis vita opus eſſe cenſeamus, quum indigni, ut à vobis redimeremur, viſi ſumus. Rediere Romam quondam remiſſi à Pyrrho ſine pretio capti: ſed rediere cum legatis, primoribus civitatis ad redimendos ſeſe miſſis. redeam ego in patriam, trecentis nummis non æſtimatus civis? *Suum quiſque habet animum.* P. C. ſcio in diſcrimine eſſe vitam corpuſq; meum. magis me famæ periculum movet, ne à vobis damnati ac repulſi habeamur. Neque enim vos pretio pepercisſe homines credent.

ORATIO
T. MANLII TORQVATI, ne captivi redimerentur.

ARGVMENTVM.

Hoc cum priore oratione conjunctum eſt. Poſteaquam captivi dicendi finem fecerunt, extremplo ab ea turba quæ in veſtibulo curiæ ſtabat, clamor flebilis ſublatus eſt, orabantque ut ſibi liberos, fratres, cognatos, redderent patres. Tum ſenatus ea de re haberi cœptus. Quo quum aliis captivos redimendos de publico, aliis de privato, aliis ex ærario dandam pecuniam mutuo referentibus, variaretur ſententiis: tum demum T. Manlius Torquatus rogatus ſententiam, unus nullo pacto redimendos eſſe ita ſuaſit.

SI tantummodo poſtulaſſent legati pro iis qui in hoſtium poteſtate ſunt, ut redimerentur, ſine ullius inſectatione, eorum brevi ſententiam peregiſſem. Quid enim aliud quam admonendi eſſetis, ut morem traditum à Patribus, neceſſario ad rem militarem exemplo ſervaretis? Nunc autem cum propè gloriati ſint, quod ſe hoſtibus dediderint, præferrique non captis modo in acie ab hoſtibus, ſed etiam iis qui Venuſiam Canuſiumque pervenerunt

nerunt, atque ipsi C. Terentio consuli, æquum censuerint: nihil vos eorum P. C. quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque utinam hæc quæ apud vos acturus sum, Canusii apud ipsum exercitum agerem; optimum testem ignaviæ cujusque & virtutis: aut unus hic saltem adesset P. Sempronius, quem si isti ducem sequuti essent milites, hodie in castris Romanis, non captivi in hostium potestate essent, & quum fessis pugnando hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua, noctem ad erumpendum liberam habuissent, & septena armarorum hominum millia erumpere etiam inter confertos hostes potuissent: Neque enim per se ipsi id facere conati sunt, neque alium sequivoluerunt. Nocte propè tota P. Sempronius Tuditanus non destitit monere, adhortarique eos, dum paucitas hostium circa castra, dum quies ac silentium esset, dum nox inceptum tegeret, se ducem sequerentur: ante lucem pervenire in tuta loca, in sociorum urbes posse. Sicut avorum memoria, P. Decius tribunus militum, in Samnio, sicut nobis adolescentibus, priori Punico bello, Calpurnius Flamma, trecentis voluntariis, quum ad tumulum eos capiendum situm inter medios hostes duceret, dixit: *Moriamur, milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones.* Si hoc Sempronius diceret, nec virosquidem, nec Romanos vos duceret, si nemo tantæ virtutis exstitisset comes. viam non ad gloriam magis quàm ad salutem ferentem demonstrat; reduces in patriam, ad parentes, ad conjuges ac liberos facit. Ut servemini, deest vobis animus? quid, si moriendum pro patria esset, faceretis? Quinquaginta millia civium sociorumque circa vos eo ipso die cæsa jacent: si tot exempla virtutis non movent, nihil unquam movebit. si tanta clades vilem vitam non fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes desiderate patriam; imo desi-

de-

ſiderate, dum patria eſt, dum cives ejus eſtis: ſerò nunc deſideratis, diminuti capite, abalienati jure civium, ſervi Carthaginienſium facti. Pretio redituri eſtis eo, unde ignavi ac nequitia abiſtis? P. Sempronium, civem veſtrum, non audiſtis, arma capere ac ſe jubentem ſequi; Annibalem poſt paulo audiſtis, caſtra prodi, & arma tradi iubentem. Quam ego ignaviam iſtorum accuſo, quum ſcelus poſſim accuſare? non enim modo ſequi recuſarunt bene monentem, ſed obſiſtere ac retinere conati ſunt, ni ſtrictis gladiis viri fortiſſimi inertes ſummoviſſent. Prius, inquam, P. Sempronio per civium agmen, quam per hoſtium fuit erumpendum. Hos cives patria deſideret: quorum ſi cæteri ſimiles fuiſſent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnaverunt, civem haberet? Ex millibus ſeptem armatorum, ſexcenti extiterunt qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent: neque iis quadraginta millia hoſtium obſtitere. Quam tutum iter duarum prope legionum agmini futurum cenſetis fuiſſe? haberetis hodie viginti millia armatorum Canubii, fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni fideleſque (nam fortes ne ipſi quidem dixerint) cives eſſe poſſunt? niſi quis credere poteſt, fuiſſe qui erumpentibus, quin erumperent, obſiſtere conari ſint: aut non invidere eos, cum incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, quum ſibi timorem ignaviamque ſervitutis ignominioſæ cauſam eſſe ſciant. Maluerunt in tentoriis latentes ſimul lucem atque hoſtem exſpectare, quum ſilentio noctis erumpendi occaſio eſſet. Etenim ad erumpendum è caſtris defuit animus: ad tutanda fortiter caſtra animum habuerunt. Dies noctesque aliquot obſeſſi, vallum armis ſe ipſi tutati vallo ſunt: tandem ultima auſi paſſique, quum omnia ſubſidia vitæ abeſſent, affectiſque fame viribus, arma jam ſuſtinere nequirent, *neceſſitatibus magis humanis*

nis quàm armis victi ſunt. Orto ſole hoſtis ad vallum acceſſit, ante ſecundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac ſe ipſos. Hæc vobis ipſorum per biduum militia fuit. Quum in acie ſtare ac pugnare decuerat, tum in caſtra refugerunt: quum pro vallo pugnandum erat, caſtra tradiderunt, neque in acie neque in caſtris utiles. Vos redimam? quum erumpere caſtris oportet, cunctamini ac manetis: quum manere & caſtra tutari armis neceſſe eſt, & caſtra & arma & vos ipſos traditis hoſti. Ego non magis iſtos redimendos, P.C. cenſeo, quàm illos dedendos Annibali, qui per medios hoſtes è caſtris eruperunt: ac per ſummam virtutem ſe patriæ reſtituerunt.

Ex viceſimo tertio libro ab Urbe condita.

ORATIO.

PACUVII CALAVII Campani ad populum Campanum.

ARGVMENTVM

Pacuvius Calavius Capuæ in ſummo magiſtratu erat, quum res Romana male ad Thraſymenum geſta eſt? Is populum Campanum ſenatus jamdiu infeſtum ratus id agitare, ut ſenatoribus trucidatis ſi venirent hoſtes Romanorum, Annibali Capuam traderet: hoc populi conſilium ſenatui declarat, omneſque tandem eo duxit, ut ſi ſe in ipſius poteſtatem permitterent, facile ab inſidiis ſe poſſe liberari arbitrarentur. Permiſſos in curiam claudit: convocat populum, cui rem ita expoſuit.

QUOD ſæpe optaſtis, Campani, ut ſupplicii ſumendi vobis ex improbo ac deteſtabili Senatu poteſtas eſſet. eam nunc, non per tumultum expugnantes domos ſingulorum; quas præſidiis clientium ſervorumque tuentur, cum ſummo veſtro periculo, ſed tutam habetis ac liberam. Clauſos omnes in curiam accipite, ſolos, inermes;

mes: nec quicquam raptim, aut forte temere egeritis. De ſingulorum capite vobis jus ſententiæ dicendæ faciam, ut quas quiſque meritus eſt pœnas pendat. Sed ante omnia *ità vos iræ indulgere oportet, ut potiorem ira ſalutem atque utilitatem veſtram habeatis.* Etenim hos (ut opinor) odiſtis ſenatores. nam ſenatum omnino non habere non vultis, quippe aut rex (quod abominandum) aut (quod unum liberæ civitatis conſilium eſt,) ſenatus habendus eſt. Itaque duæ res ſimul agendæ ſunt vobis, ut & veterem ſenatum tollatis, & novum cooptetis. Citari ſingulos ſenatores jubebo, de quorum capite vos conſulam: quod de quoquo cenſueritis, fiet. Sed prius in ejus locum virum fortem ac ſtrenuum, novum ſenatorem cooptabitis, quàm de noxio ſupplicium ſumatur.

ORATIO VARRONIS CONSULIS qua legatis Campanorum reſpondet.

ARGUMENTUM.

Poſt Cannenſem cladem Romani à Campanis ſperni contemnique cœpti ſunt, ut illud oſtenſuri fuerint, niſi prohibiti fuiſſent eorum præſertim memoria qui à Romanis miſſi erant per Siculas urbes in præſidia, in quibus Campani erant nobiliſſimi. Horum igitur parentes ægre impetrant ut legati ad Varronem conſulem, Canuſium, quo ipſe ex fuga ſeſe receperat, mitterentur. Profecti Venuſiæ conſulem cum paucis inveniunt, ubi ſenatum populumque Campanum ægre ferre nuntiant quod ita infeliciter ad Cannas res geſta eſſet: ita placere, ut quicquid bello uſui eſſet, benigne ac comiter ſubminiſtraretur. Varro poſt in hanc ſententiam legatis reſpondit.

MOREM magis loquendi cum ſociis ſervaſtis, Campani, jubentes quæ ad bellum eſſent opus imperare, quam convenienter ad præſentem fortunæ noſtræ ſtatum loquuti eſtis. Quid enim nobis

nobis ad Cannas relictum eſt, ut, quaſi aliquid habeamus, id quod deeſt, expleri à ſociis velimus? pedites vobis imperemus, tanquam equites habeamus? pecuniam deeſſe dicamus, tanquam ea tantum deſit? Nihil, ne quod ſuppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. legiones, equitatus, arma, ſigna, equi virique, pecunia commeatus, aut in acie, aut in ruinis poſtero die amiſſis caſtris perierunt, itaque non juvetis nos in bello oportet, Campani, ſed cum Pœnis bellum pro nobis ſuſcipiatis. Veniat in mentem, ut trepidos quondam majores veſtros intra mœnia compulſos, nec Samnitem modo hoſtem, ſed etiam Fidicinum paventes, receptos in fidem apud Satriculam defenderimus, cœptumque propter vos cum Samnitibus bellum, per centum propè annos, variante fortuna eventum, tulerimus. Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum dedimus, quod leges veſtras, quod ad extremum (id quod ante Cannenſem certè cladem maximum fuit) civitatem noſtram magnæ parti veſtrùm dedimus, communicavimuſque vobiſcum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta eſt, credere, Campani, oportet, communem patriam tuendam arbitrari eſſe. Non cum Samnite aut Etruſco res eſt, ut quod à nobis ablatum ſit, in Italia tamen imperium maneat: Pœnus hoſtis ne Africæ quidem indigena, ab ultimis terrarum oris, freto Oceani, Herculiſque columnis, expertem omnis juris & conditionis, & linguæ prope humanæ, militem trahit. Hunc natura & moribus immitem ferumque, inſuper dux ipſe efferavit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum ſtrue faciendis: & (quod proloqui etiam piget) veſci humanis corporibus docendo, hos infandis paſtos epulis, quos contingere etiam nefas ſit, videre atque habere dominos, & ex Africa & à Carthagine jure petere, & Italiam Numidarum ac Maurorum

rum pati provinciam esse, cui non, genito modo in Italia, detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romanum imperium vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, quatuor equitum, arbitror ex Campania scribi posse: jam pecuniæ affatim esse frumentique. Qui si parem fortunæ vestræ fidam habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse.

ORATIO PEROLLÆ AD PACUVIUM Calavium patrem de interficiendo Annibale.

ARGUMENTUM.

Annibal, authoritate atque diligentia Pacuvii Calavii, (de quo paulo ante diximus) Capuam in fidem acceperat. Is urbem ingressus, se apud Calavium cœnare velle pronuntiat: cui convivio tres modò Campanos adhibuit, in quibus Perolla filius Pacuvii, qui aliquanto ante patris deprecatione ac precibus Annibali placatus erat. Hic Perolla hilariter cæteris epulantibus unus tristis, nec dominorũ invitatione vinci potuit, nec ipsius Annibalis, ut curis amotis & seclusis lætus convivaretur. Ac quum forte ante noctem Pacuvius ex convivio egressus, in hortum qui posticis aditum partibus subjectus erat, secederet; patrem filius Perolla sequutus, ita ut sequitur, consilium suum de interficiendo Annibale declaravit. Pater ex filio quum ea audivisset, velut si jam interesset indigno atque detestabili facinorii, filium ut deinde sequitur, ab indignitate & atrocitate facinoris flebiliter deterrebat. Filius inde precibus atque lachrymis patris victus, facinus conceptum se non editurum promisit.

CONSILIUM affero, pater, quo non veniam solum peccati, quo defecimus ad Annibalem, imperraturi ab Romanis, sed in multo majore dignitate & gratia simus Campani quam unquam

quam fuimus. *Quum mirabundus pater, quidnam id esset consilii, quæreret: toga rejecta ab humero, latus succinctum gladio nudat.* Jam ego, *inquit*, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus. Te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles.

ORATIO
PACUVII CALAVII FILIUM
à facinore dehortantis.

PER ego te fili, quæcunque jura liberos jungunt parentibus, precor quæsoque ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis. Paucæ horæ sunt, intra quas jurantes per quicquid Deorum est, dextræ dextras jungentes, fidem obstrinximus ut sacratis de mensis essemus: digressi à colloquio extemplo in eum armaremur? Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale es: eam ipsam mensam cruenta vis hospitis sanguine? Annibalem pater filio meo potui placare, filium Annibali non possum? Sed si nihil sancti, non fides, non religio, non pietas audiantur, infanda, si non perniciem nobis cum scelere asserunt, unus aggressurus es Annibalem? Quid illa turba tot liberorum servorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescentne in amentia illa? vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt; quem horret populus Romanus, tu sustinebis? Et alia auxilia desint, meipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi transfigendusque est. Deterreri hic sine te potius, quàm illic vinci. valeant preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt.

ORATIO.
PEROLLÆ, qua Pacuvio patri respondet.

EGO quidem, quam patriæ debeo pietatem exsolvam patri. Tuam doleo vicem, cuite

prior

proditæ patriæ ſuſtinendum eſt crimen ſemel, quum defectionis ab Romanis: iterum, quum pacis cum Annibale fuiſti author: tertio hodie, quum reſtituendæ Romanis Capuæ mora atque impedimentum es Tu patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hoſti minime parcens, quando parens extorquet, recipe.

VERBA MAGII DECII ad circumfuſam multitudinem.

ARGVMENTVM.

Magius Decius Capuæ inter alios cenſebat præſidium Annibalis Capuam recipiendum non eſſe, aut receptum ejiciendum, aut certe interficiendum, ut ita nobili facinore Romanis Campani ſe reſtituerent. Perlatum id erat in caſtra ad Annibalem, & jam cum in caſtra acciri juſſerat, quum negantem eum comprehendi & ad ſe adduci jubet. At repente mutato conſilio, priuſquã adduci poſſet, alium præmittit, qui prætori nuntiaret, & moneret ne Decium duceret, ſe enim poſtero die Capuæ affuturum. Eo ipſo die Annibali ingreſſuro Capuam unus Decius cum ſuis obviam non eſt egreſſus. Poſtero die ſenatu dato, Decium inter alia ad ſe adduci jubet. Comprehenſus quum dicere cauſam uſus negaret lege fœderis ad id cogi poſſe: tum injectis catenis ante lictorem duci juſſus eſt. Ipſe quoad capite aperto fuit, dum ducitur, ita ad circumfuſam multitudinem vociferabatur.

HABETIS libertatem, Campani, quam petiſtis; foro medio, luce clara; videntibus vobis, nulli Campanorum ſecundus, vinctus ad mortem rapior. Quid violentius Capua capta fieret? Ite obviam Annibali, exornate urbem, diemque adventus ejus conſecrate, ut hunc triumphum de cive veſtro ſpectetis,

ORA-

ORATIO.

HIMILCONIS, BARCHINÆ factionis viri, adversus Hannonem.

ARGUMENTUM.

Mago Amilcaris filius Carthaginem profectus, senatu dato quæ ad Cannas gesta erant, expositis, ob victoriam Diis sacrum, authoritate Annibalis, haberi jusserat. Himilco ex hoc tam lato nuntio nactus occasionem Hannonis alterius factionis principis eludendi, & reprehendendi, ita eum aggressus est. Hanno deinde respondet.

QVID est Hanno? etiam nunc te pœnitet belli suscepti adversus Romanos? Jube dedi Annibalem: veta in tam prosperis rebus grates Diis immortalibus agi. audiamus Romanum senatorem in Carthaginensium curia.

ORATIO

HANNONIS Himilconi respondentis.

TACVISSEM hodiè, P.C. ne quid in communi omnium gaudio, minus lætum quod esset vobis, loquerer: nunc interrogante senatore, pœniteatne me adhuc suscepti adversus Romanos belli, *si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar: quorum alterum est hominis alienæ libertatis obliti; alterum suæ.* Respondeam igitur Himilconi, non desiisse Pœnitere me belli, neque desiturum ante invictum nostrum imperatorem incusare, quàm finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro: Nec mihi pacis antiquæ desiderium ulla alia res quàm pax nova finiet. Itaque ista quæ modo Mago jactavit, Himilconi cæterisque Annibalis satellitibus jam læta sunt, mihi possunt læta esse, quia res bello bene gestæ, si volumus fortuna uti, pacem nobis æquiorem dabunt. nam si prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quàm accipere possumus videri pacem, vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat. Quæ tamen nunc quoque qualis est? Occidi exerci-

tus hostium: mittite milites mihi. quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena & commeatuum; frumentum, & pecuniam date. quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer, (mihi quoque enim, quoniam respondi Himilconi, interrogare jus fasque est) velim seu Himilco seu Mago respondeat: quum ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, constetque in defectione totam Italiam esse; primum, ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos? deinde ecquis homo, ex quinque & triginta tribubus, ad Annibalem transfugerit? *Quum utrumque Mago negasset*: Hostium quidem ergo, *inquit*, nimis adhuc multum supereſt, sed multitudo ea quid animorum, quidve spei habeat, scire velim. *Quum, ad nescire se, Mago diceret*; Nihil facilius scitu est, *inquit*. Ecquos legatos ad Annibalem Romani miserunt de pace? ecquam denique mentionem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est? *Quum id quoque negasset*: Bellum igitur, *inquit*, tam integrum habemus, quàm habuimus, qua die Annibal in Italiam est ingressus. Quam varia victoria priore Punico bello fuerit, plerique qui meminerimus supersumus nunquam terra marique magis prosperæ res nostræ sunt, quàm ante consules C. Luctatium & A. Posthumium fuerunt. Luctatio & Posthumio consulibus; devicti ad Ægateas insulas sumus. Quod si (id quod Dii omen avertant) nunc quoque fortuna aliquid variaverit, tum pacem speratis quum vincimur, quam nunc, quum vincimus, dat nemo? Ego, siquis de pace consulet, seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam: si de iis quæ Mago postulat, refertis, nec victoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsa atque inani victoria, multo minus censeo mittenda esse.

ORA-

ORATIO.

SAMNITIUM LEGATORUM ad Annibalem, qua petunt ut opem adversus Romanos ferat.

ARGVMENTVM

Marcellus Nolam urbem quum teneret præsidiis, in agrum Hirpinum & Samnitium Caudinorum excursiones faciendo, ferro & igne omnia vastabat. Iis cladibus uterque populus adductus legatos ad Annibalem conquestum injurias mittit. Priores Samnites, ita injurias exposuerunt.

HOSTES Populi Romani, Annibal, fuimus primùm per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant: posteaquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adjunximus: à quo relicti, pacem necessariam accepimus fuimusque in ea per annos prope quinquaginta, ad id tempus quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunaque, quàm unica comitas ac benignitas erga cives nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliavit tibi, ut te salvo atque incolumi amico, non modo populum Romanum, sed ne Deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At, Hercule, non solum incolumi & victore, sed præsente te, quum ploratum proprè conjugum ac liberorum nostrorum exaudire, & flagrantia tecta posses conspicere, ita sumus aliquoties hac æstate devastati, ut M. Marcellus, non Annibal vicisse ad Cannas videatur, glorienturque Romani, te *ad unum modo ictum vigentem, velut jaculo emisso torpere.* Per centum propè annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adjuti nec duce, nec exercitu, nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defendit. Non ergo secundis rebus nostris gloriabimur, duos consules, ac duos consulares exercitus à nobis sub jugum missos, & si quæ alia aut læta aut glorioſa nobis evenerunt, quæ

aſpera adverſaq; tunc acciderunt, minore indignatione referre poſſumus, quam quæ hodie evemunt. Magni dictatores cum magiſtris equitum, bini conſules cum binis conſularibus exercitibus ingrediebantur fines noſtros, antè explorato & ſubſidiis poſitis, & ſub ſignis ad populandum ducebant, nunc prope unius & parvi ad tuendam Nolam præſidii præda ſumus. Jam, ne manipulatim quidem, ſed latronum modo, percurſant toris finibus noſtris negligentius, quàm ſi in Romano vagarentur agro. Cauſa autem hæc eſt, quod neque tu defendis; & noſtra juventus, quæ, ſi domi eſſet, tutaretur, omnis ſub ſignis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim: niſi à quo tot Romanas acies fuſas ſtrataſque ſciam, ei facile eſſe ducam opprimere populatores noſtros vagos, ſine ſignis, paratos quo quenque trahit quamvis vana prædæ ſpes. Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, præſidiumque miſſum nobis & Nolæ ademeris ſi modo, quos ut ſocios haberes dignos duxiſti, haud indignos judicas, quos in fidem receptos tuearis.

Ex viceſimo quarto libro ab Urbe condita.

ORATIO

FABII MAXIMI ad populum de deligendo imperatore.

ARGVMENTVM.

Fabius ſub finem anni Romam rediens, comitia conſularia edixerat, quibus prærogativæ juniorum T. Otacilium, qui ejus Fabii filiam habebat uxorem, & M. Æmilium Regillum conſules dixerunt. Quod ubi Fabius intellexit, hac concione ſuadebat, nec Otacilio rerum & imperii ſummam deferendam eſſe, nec conſulem eum habendum: videndum autem cui Bellum mandari poſſet adverſus Annibalem.

SI

SI aut pacem in Italia aut bellum cum eo hoſte haberemus in quo negligentiæ aut errori locus eſſet; qui veſtris ſtudiis, quæ in campum ad mandandos, quibus velitis honores, affertis, moram ullam afferret, is mihi parum meminiſſe videretur veſtræ libertatis. Sed quum in hoc bello, cum hoc hoſte, nunquam ab ullo duce ſine ingenti noſtra clade erratum ſit, eadem vos cura, qua in aciem armati deſcenditis, inire ſuffragium ad creandos conſules decet, & ſibi ſic quemque dicere; Annibali imperatori parem conſulem nomino, Hoc anno ad Capuam Jubellio Taureæ Campano ſummo equiti provocanti, ſummus Romanus eques Aſellus Claudius oppoſitus. Adverſus Gallum quondam provocantem in ponte Anienis, Manlium, fidentem & animo & viribus, miſere majores noſtri. ob eandem cauſam haud multis annis poſt fuiſſe non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur arma capienti adverſus ſimiliter provocantem ad certamen Gallum. Quemadmodum pedites equiteſque optamus, ut validiores, ſi minus ut pares hoſti habeamus; ita duci hoſtium parem imperatorem quæramus. Quum qui eſt ſummus in civitate dux, eum legerimus, tum repente lectus, in annum creatus, adverſus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis neque juris incluſum anguſtiis, quo minus ita omnia gerat adminiſtretque, ut belli tempora poſtulabunt. nobis autem in apparatu ipſo, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur. Quoniam quales viros creare vos Conſules deceat, ſatis eſt dictum; reſtat ut pauca de eis, in quos prærogativæ favor inclinavit, dicam. M. Æmilius Regillus flamen eſt Quirinalis; quem neque mittere à ſacris, neque retinere poſſumus, ut non Deûm aut belli deſeramus curam. Otacilius, ſororis meæ filiam uxorem, atque ex ea liberos habet. cæterum non ea veſtra in me majoreſque meos merita ſunt, ut

non *potiorem privatis necessitudinibus Rempublicam* habeam. QUILIBET *nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest: ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus est.* Non tranquillo navigamus, sed jam aliquot procellis submersi penè sumus. Itaque *quis ad gubernacula sedeat, summa cura providendum ac præcavendum* vobis est. In minore re experti, T. Octacili, operam tuam sumus. haud sanè, cur ad majora tibi fidamus, documenti quicquam dedisti. Classem hoc anno, cui tu præfuisti, trium rerum causa paravimus: ut Africæ oram popularetur, ut tuta nobis Italiæ littora essent; ante omnia, ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Carthagine Annibali transportaretur. Create consulem T. Octacilium, non dico si omnia hæc, sed si aliquid eorum Reipub. præstitit. Sin autem, te classem obtinente, etiam velut pacato mari quælibet Annibali tuta atque integra ab domo venerunt; si ora Italiæ infestior hoc anno, quàm Africæ fuit; quid dicere potes, cur te potissimum ducem Annibali hosti opponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo majorum nostrorum censeremus. neque tu id indignari posses, aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi, quàm te. Magis nullius interest quàm tua, T. Octacili, non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas. Ego magnopere suadeo, eodem animo quo, si stantibus vobis in acie armatis, repente deligendi duo imperatores essent, quorum ductu atque auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis, quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent. Lacus Thrasymenus & Cannæ, triste ad recordationem exemplar; at ad præcavendum simile utiles documento sunt.

ORA-

ORATIO T. GRACCHI AD MILITES.

ARGVMENTVM.

Ad Beneventum T. Gracchus in castris legiones magna ex parte Volonum servorum habebat, inter quos quum forte quæri audiret quando libertate donarentur: missis ad senatum hac de re literis, quibus eorum fortitudinem laudabat, impetravit ut quod è Repub. videretur, faceret. Quod quum ab ipso referente audirent, liberos item se facturum qui egregiè pugnassent, dicentem, nihil quàm in hostem pugnare malebant: adeo libertatis dulcedo eos mordebat. Quum verò eorum quatuor millia segnius cum hoste congressa metu pœnæ, collem qui non procul à castris aberat, cepissent, postero tamen die inde accitos cum cæteris libertate donavit. Concione inde advocata, ita eos qui fecessissent, se mulctaturum pronuntiavit.

PRIUSQUAM omnes jure libertatis æquassem, neminem notâ strenui aut ignavi militis notasse volui. Nunc exsoluta jam fide publica, ne discrimen omne virtutis ignaviæque pereat, nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ memores secessionem paulo ante fecerunt, referri ad me jubebo: citatosque singulos jurejurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quàm stantes cibum potumque, quoad stipendia facient, capturos esse. Hanc mulctam ita æquo animo feretis, si reputabitis, nulla ignaviæ nota leviore vos designari potuisse.

ORATIO D. PINARII PRÆFECTI præsidii Romanorum Ennæ, qua suos exhortatur.

ARGUMENTUM.

L. Pinarius Ennæ præsidii Romanorum præfectus, præsidium Murgantiæ ab incolis proditum oppressumque audiens, diligenter videbat, ne Ennenses quoque præsidium cuius erat præfectus, prodere

atque opprimere possent. Iamque nonnihil de proditione cum Himilcone pacta audiebat, quum, reposcentibus Ennensibus claves portarum civitatis, pertinaciter negat se daturum. Ii quum nulla ratione pervincere se posse viderent ut redderentur, vindictam aliquam suæ libertatis se quæsituros denuntiant. Tum Pinarius sibi consilium dari populi postulat, ut sciret utrum paucorum an universæ civitatis ea denuntiata forent. Consensu itaque omnium concio in posterum diem edicitur. Ipse ex eo colloquio in arcem receptus, ita suorum animos in diem posterum comparat.

CREDO ego vos audisse, milites, quemadmodum præsidia Romana ab Siculis circumventa & oppressa sint per hos dies. Eam vos fraudem Deûm primò benignitate, dein vestra ipsi virtute dies noctesque perstando ac pervigilando in armis, vitastis. utinam reliquum tempus nec patiendo infanda, nec faciendo, traduci possit. *Hæc* occulta fraude cautio est, qua quia adhuc minus cuiquam suceessit, aperte ac propalam claves portarum reposcunt; quas simul ut tradiderimus, Carthaginiensium extemplo Enna erit, fœdiusque hic trucidabimur, quam Murgantiæ præsidium interfectum est. Noctem unam ægrè ad consultandum sumpsi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Orta luce concionem habituri sunt ad criminandum me concitandumque in vos populum. itaque crastino die aut vestro, aut Ennensium sanguine Enna inundabitur. nec præoccupati, peculii, nec occupantes, periculi quicquam habebitis. qui prior strinxerit ferrum, ejus victoria erit. Intenti ergo omnes, armatique signum exspectabitis. ego in concione ero: & tempus, quoad omnia instructa siat, loquendo altercandoque traham. Quum toga signum dedero, tum mihi undique clamore sublato turbam invadite, ac sternite omnia ferro: & cavete ne quisquam ex iis supersit, à quibus aut vis aut fraus timeri

timeri possit. Vos Ceres mater ac Proserpina, precor, cæteriq; superi inferique Dii, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandæ, non inferendæ fraudis causa hoc consilii capimus. Pluribus vos (milites) hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset. inermes, incautos ad satietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, nequid ab Himilcone & Carthaginiensibus timeri possit.

Ex vicesimo quinto libro ab urbe condita.

ORATIO RELEGATORVM MILITVM AD M. Marcellum, de mutatione conditionis.

ARGVMENTVM.

Milites eos qui Cannensi cladi superfuerant, senatus in Siciliam ad militandum, quoad Punicum bellum finitum esset, non redituros Romam, relegaverat. Is dum P. Lentulo militant, ab eo impetrant, ut primores equitum centurionumque in hyberna ad M. Marcellum mitterentur, qui de conditione atque fortuna conquererentur. Ex iis unus, potestate dicendi facta, in hæc verba causam suam egit.

CONSVLEM te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, quum primum de nobis, etsi non iniquum, certè triste senatusconsultum factum est: nisi hoc speraſſemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adversus Siculos simul Pœnosque mitti, & sanguine nostro vulneribusque magistratibus satisfacturos esse: sicut patrum memoria qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, adversus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt. Quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis, P. C. nobis, aut succensetis Ambos mihi consules & universum senatum intueri videor, quum te, M. Marcelle, intueor: quem

si ad Cannas consulem habuissemus, melior & Reipub. & nostra fortuna esset. Sine, quæso, priusquam de conditione nostra queror, noxam, cujus arguimur, nos purgare. Si non Deûm ira nec *fato* (*cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur*) sed culpa periimus ad Cannas; cujus tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equidem miles nihil unquam dicam de imperatore eo, cui præsertim sciam gratias à senatu actas quod non desperavit de Repub. cui post fugam actam sit per annos omnes prorogatum imperium. Cæteros item ex reliquis cladis ejus, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, provincias obtinere audivimus. An vobis vestrisque liberis ignoscitis facilè P. C. in hæc vilia capita sævitis? & consuli primoribusque aliis civitatis *fugere, quum spes alia nulla esset, turpe non fuit*, milites utique morituros in aciem misistis? Ad Alliam propè omnis exercitus fugit: ad Furculas Caudinas, ne expertus quidem certamen, arma tradidit hosti, (ut alias pudendas clades exercituum taceam) tamen tantum abfuit ab eo ut ulla ignominia iis exercitibus inureretur, ut & urbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Vejos transfugerat, recuperaretur; & Caudinæ legiones, quæ sine armis redierant Romam, armatæ remissæ in Samnium, eundem illum hostem sub jugum miserint, qui hac suâ ignominiâ lætatus fuerat. Cannensem vero quisquam exercitum fugæ aut pavoris insimulare potest, ubi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? unde consul cum equitibus quinquaginta fugit? unde nemo supereſt, nisi quem hostis cædendo fessus reliquit? Quum captivis redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabant, quod Reipub. nos servassemus, quod ad consulem Venusiam redissemus, & speciem justi exercitus fecissemus. Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerunt captivi. quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locus-

locusque in quo tenderent, in castris est mutatus, quem tamen semel navata Reipub. opera, & uno felici prælio recuperarunt. Nemo eorum relegatus in exilium est: nemini spes emerendi stipendia adempta est: hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel aut ignominiam finirent. Nos quibus (nisi quod commisimus, ut quisquam ex Cannensi acie miles Romanus superesset nihil objici potest) non solum à patria procul Italiaque, sed ab hoste etiam relegati sumus, ubi senescamus in exilio; nequa spes, nequa occasio abolendæ ignominiæ, nequa placandæ civium iræ, nequa denique benè moriendi sit. Neque ignominiæ finem, nec virtutis præmium petimus, modò experiri animum, & virtutem exercere liceat. *laborem & periculum petimus, ut virorum, ut militum officio fungamur.* Bellum in Sicilia jam alterum annum ingenti dimicatione geritur: urbes alias Pœnus, alias Romanus expugnat: peditum & equitum acies concurrunt: ad Syracusas terra marique res geritur: clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus, residemus ipsi ac segnes, tanquam nec arma nec manus habeamus. Servorum legionibus T. Sempronius Consul toties iam cum hoste signis collatis pugnavit. Operæ pretium habent, libertatem civitatemque. Pro servis saltem ad hoc bellum emptis nobis simul congredi cum hoste liceat, & pugnando quærere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis urbibus oppugnandis experiri virtutem? *Asperrima quæque ad laborem periculumque deposcimus*; ut quod ad Cannas faciendum fuit, quam primum fiat: quoniam quicquid postea viximus, id omne destinatum ignominiæ est.

ORA-

ORATIO
SYRACVSANORVM ad Marcellum de deditione.

ARGVMENTVM.

Syracusani, Hippocrate interfecto, Epicide ab Syracusiis intercluso, occisis item præfectis Epicidis: tempus venisse rati Romanis se reconciliandi, legatos de deditione ad Marcellum mittunt. Legati rem ita apud Marcellum egerunt.

NEQVE primo Syracusani à vobis defecimus, sed Hieronymus; nequaquam tam in vos impius, quàm in nos: nec postea pacem tyranni cæde compositam Syracusanus quisquam, sed satellites regii Hippocrates atque Epicides, oppressis nobis hinc metu, hinc fraude, turbaverunt. nec quisquam dicere potest, aliquando nobis libertatis tempus fuisse, quod pacis vobiscum non fuerit. Nunc certe cæde eorum, qui oppressas tenebant Syracusas, quum primùm arbitrii nostri esse cœpimus, extemplo venimus ad tradenda arma: dedendos nos, urbem, mœnia: nullam recusandam fortunam, quæ imposita à vobis fuerit. Gloriam captæ nobilissimæ pulcherrimæque urbis Græcarum Dii tibi dederunt, Marcelle, quicquid unquam terra mariq; memorandum gessimus, id tui triumphi titulo accedit. Famæne credi malis, quanta urbs à te capta sit, quàm posteris quoque eam spectaculo esse? quo quisquis terra, quisquis mari venerit, nunc nostra de Athenienſibus Carthaginienſibusque trophæa, nunc tua de nobis ostendat, incolumesque Syracusas familiæ vestræ, sub clientela nominis Macellorum tutelaque habendas tradas, ne plus apud vos Hieronymi quàm Hieronis memoria momenti faciat. Diutius ille multo amicus fuit, quàm hic hostis: & illius etiam benefacta perſenſistis hujus amentia ad perniciem tantum ipſius valuit.

ORA-

ORATIO
L. MARTII qua suos milites exhortatur.

ARGVMENTVM.

L. Martius eques Romanus erat, sub Cn. Scipionis disciplina multis annis edoctus, ad quem, cæsis duobus Scipionibus, milites sine duce imperii summam detulerant. Is Asdrubalem venire ad delendas exercitus Romani reliquias quum audiret, milites alios alia voce Scipionum mortem deplorantes increpans, quod non aliter quàm mulierum ritu flerent, ita inflammavit. ut armis sumptis in hostem incompositè præ fiducia venientem; velut rabie accensi incurrerent. Ac eo ipso concursu iam eorum impressiones atque impetus hostis non sustinens, fuga elabebatur, quum Martius suos insequentes remoratur, dato signo receptui. Hostes hac fuga nihilo diligentiores intentioresque, reliquias tantum duorum exercituum deletorum rati, nec stationes in castris habebant, nec vigiliarum ordines. Quæ ubi Martio explorata fuerunt, tum demum init consilium noctu in castra hostium irrumpendi vocataque concione, ita militum animos præparavit.

VEL mea erga imperatores nostros vivos mortuosque pietas, vel præsens omnium nostrùm, milites, fortuna, fidem cuivis facere potest, mihi hoc *imperium, ut amplum* judicio vestro, *ita re ipsa grave ac solicitum esse*. Quo enim tempore, nisi *metus mœrorem obstupefaceret*, vix ita compos mei essem, ut aliqua solatia invenire ægro animo possem, cogor vestram omnium vicem (quod difficillimum in luctu est) unus consolari & ne tum quidem, ubi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriæ conservare possim, cogitandum est, avertere animum ab assiduo mœrore libet. Præsto est enim acerba memoria, & Scipiones me ambo dies noctesque curis insomniisque agitant, & excitant sæpe somno, neu se, neu invictos per octo annos in his terris milites suos, commilitones vestros,

ſtros, neu Rempub. patiar inultam, & ſuam diſciplinam ſuaque inſtituta ſequi iubent: Et ut imperiis vivorum nemo obedientior me uno fuerit, ita poſt mortem ſuam quod quaque in re facturos illos fuiſſe maxime cenſeam, id optimum ducere; vos quoque velim, milites, non lamentis lacrymiſque tanquam exſtinctos proſequi, (*vivunt vigentque fama rerum geſtarum*) ſed quotieſcunque occurret memoria illorum, velut ſi adhortantes ſignumque dantes videatis eos, ita prælia inire. Nec alia profecto ſpecies heſterno die oculis animiſque veſtris oblata memorabile illud edidit prælium, quo documentum dediſtis hoſtibus, non cum Scipionibus extinctum eſſe nomen Romanum: & cuius populi vis atque virtus non obruta ſit Cannenſi clade, ex omni profecto ſævitia fortunæ emerſuram eſſe. Nunc qui tantum auſi eſtis ſponte veſtra, experiri libet quantum audeatis duce veſtro authore. non enim heſterno die quum ſignum receptui dedi ſequentibus effusè vobis turbatum hoſtem, frangere audaciam veſtram, ſed differre in majorem gloriam atque opportunitatem volui: ut poſtmodum præparati incautos, armati inermes, atque etiam ſopitos, *per occaſionem aggredi* poſſetis. Nec huius occaſionis ſpem, milites, fortè temere, ſed ex re ipſa conceptam habeo. A vobis quoque profecto ſiquis quærat, quonam modo pauci à multis, victi à victoribus caſtra tutari ſitis; nihil aliud reſpondeatis, quàm id ipſum timentes vos omnia & operibus firmata habuiſſe, & ipſos paratos inſtructoſque fuiſſe. Et ita ſe res habet: *ad id quod ne timeatur, fortuna facit, minime tuti ſunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas.* Nihil omnium nunc minus metuunt hoſtes, quàm ne obſeſſi modo ipſi atque oppugnati, caſtra ſua ultro oppugnemus. *Audeamus quod credi non poteſt auſuros nos, eo ipſo, quod difficillimum videtur, facillimum erit.* Tertia vigilia noctis ſilenti agmine

agmine ducam vos, exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non ſtationes iuſtas eſſe, Clamor in portis auditus, & primus impetus caſtra ceperit. Tum inter torpidos ſomno, paventeſq; ad nec opinatum tumultum, & inermes in cubilibus ſuis oppreſſos, illa cædes edatur, à qua vos heſterno die revocatos ægrè ferebatis. Scio audax videri conſiliũ: ſed *in rebus aſperis & tenui ſpe fortiſſima quæq; conſilia tutiſſima ſunt.* quia *ſi in occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulũ fueris, nequicquam mox omiſſam quæras.* Unus exercitus in propinquo eſt: duo haud procul abſunt. nunc aggredientibus par aliqua opportunitas eſt: & iam tentaſtis veſtras atque illorum vires. Si diem proferimus, & heſternæ eruptionis fama contenti deſierimus, periculum eſt, ne omnes duces omneſque copiæ conveniant. Tres deinde duces, tres exercitus ſubſtinebimus hoſtium, quos C. Scipio incolumi exercitu non ſuſtinuit? *Vt dividendo copias perière duces noſtri, ita ſeparati ac diviſi opprimi poſſunt hoſtes.* alia belli gerendi via nulla eſt. proinde nihil præter noctis proximæ opportunitatem exſpectemus. Ite, Diis bene iuvantibus, corpora curate, ut integri vigenteſque eodem animo in caſtra hoſtium irrumpatis, quo veſtra tutati eſtis.

Ex viceſimo ſexto libro ab Urbe condita.

ORATIO

VIBII VIRII CAMPANI ad Campanos, qua ne ſe dedant Romanis, diſſuadet.

Annibal, quum nec Capuam propter obſidionem Romanorum venire poſſet. nec hoſtes congredi vellent: conſilium Romæ obſidendæ quod jam diu animo conceperat, perficere placuit. Interim longa obſidione defatigati Campani, maxime transfugarum ſupplicio, conſilium inibant dedendæ Romanis Capuæ; Ac, quum hac de re ſententiam omnes

nes rogarentur, Vibius Virius, qui author fuerat defectionis ab Romanis, rogatus sententiam, ita Campanorum animos à deditione avertere conabatur.

QUid vos eam deditionem fore censetis, qua quondam, ut adversus Samnites auxilium impetraremus, nos nostraque omnia Romanis dedimus? Jam è memoria excessit, quo tempore, & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? jam, quemadmodum in defectione, præsidium quod poterat emitti, per cruciatum & ad contumeliam necaverimus? quoties in obsidentes, quàm inimici eruperimus, castra oppugnaverimus? Annibalem vocaverimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Age contra, quæ illi infestè in nos fecerint, repetite: ut ex eo quid speretis, habeatis. Quum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis & cuncta bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos consules & duos consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum circumvallatos inclusosque nos fame macerant; & ipsi nobiscum ultima pericula, gravissimos labores perpessi: circa vallum ac fossas sæpe trucidati, & propè ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. *Vetus atque usitata res est, in oppugnanda hostium urbe labores ac pericula pati. illud iræ atque odii execrábilis indicium est.* Annibal ingentibus copiis peditum equitumque castra oppugnavit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum, perussit Calenum agrum: nihil: tantâ sociorum clade avocati sunt. Ad ipsam urbem Romam infesta signa ferri jussit. eam quoque tempestatem imminentem spreverunt. Transgressus Anienem, tria millia passuum ab urbe castra posuit: postremo ad mœnia ipsa & ad portas accessit. Romam se adempturum eis, nisi

niſi omitterent Capuam, oſtendit: & non omiſerunt, *Feras beſtias cæco impetu ac rabie concitatas, ſi ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem ſuis ferendam avertas: Romanos Romà circumſeſſa, conjuges, liberi, quorum ploratus hic quoque propè exaudiebantur, aræ, foci, Deûm delubra, ſepulcra majorum vulſa, temerata atque violata, à Capua non averterunt, tanta aviditas ſupplicii expetendi, tanta ſanguinis noſtri hauriendi eſt ſitis.* Nec injuria forſitan: nos quoque idem feciſſemus, ſi data fortuna eſſet. Itaque quando aliter Diis immortalibus viſum eſt, quum mortem ne recuſare quidem debeam; cruciatus contumeliaſque quas ſperat hoſtis, dum liber, dum mei potens ſum, effugere morte præterquam honeſta, etiam leni poſſum. Non videbo App. Claudium & Q. Fulvium, victoria inſolenti ſubnixos, neque vinctus per urbem Romam triumphi ſpectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, cervium ſecuri Romanæ objiciam: nec dirui incendique patriam videbo: nec rapi ad ſtuprum matronas Campanas, virgineſque, & ingenuos pueros. Albam, unde ipſi oriundi erant, à fundamentis prorueret, ne ſtirps, ne memoria originum ſuarum extaret: nedum eos Capuæ parſuros credam, cui infeſtiores quàm Carthagini ſunt. Itaque quibus veſtrum antè fato cedere, quàm hæc tot & tam acerba videant, in animo eſt, iis apud me hodie epulæ inſtructæ paratæque ſunt. Satiatis vino ciboque poculum idem, quod mihi datum fuerit, circumferetur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures, à videndis audiendiſque omnibus acerbis indigniſque quæ manent victos, vindicabit. poſtea parati erunt, qui magno rogo in propatulo ædium accenſo corpora exanima injiciant. Hæc una via

&

& honeſta & libera ad mortem, & *ipſi virtutem mirabuntur hoſtes*, & Annibal fortes ſocios ſciet ab ſe deſertos ac proditos eſſe.

ORATIO M. MARCELLI ad P. C. ſe adverſus Syracuſanos oratores defendentis.

ARGVMENTVM.

Miſſi erant Romam à Syracuſanis oratores, qui de injuriis illatis à Marcello, quum Syracuſas cepit, conquererentur. Intromiſſi in ſenatum, inter alia etiam illud objiciebant, quod Syracuſas vi & armis, quam deditione capere maluiſſet: principes ea cauſa ad ſe miſſos ſæpe averſatus, re infecta remiſiſſet: captam urbem ſpoliaſſet: mœnia domoſque diruiſſet: ſana deûm diripuiſſet: bona ſingulis ademiſſet. De his queſti Marcello præſente, quum juſti abirent, à Marcello revocati ſunt. quibus præſentibus, ita ut ſequitur, ſe defendit.

NON adeo majeſtatis populi Romani imperiique hujus oblitus ſum, P. C. ut ſi de meo crimine ambigeretur, conſul dicturus cauſam, accuſantibus Græcis, fuerim. Sed non quid ego fecerim, in diſquiſitionem venit (nam quicquid in hoſtibus feci, jus belli defendit) ſed quid iſti pati debuerint, qui ſi non fuerunt hoſtes, nihil intereſt nunc, an vivo Hierone Syracuſas violaverim. Sin autem deſciverunt, legatos noſtros ferro atque armis petierunt, urbem ac mœnia clauſerunt, exercitumque Carthaginienſium adverſus nos tutati ſunt; quis paſſos eſſe hoſtilia, quum fecerint, indignatur? Tradentes urbem principes Syracuſanorum, averſatus ſum? Soſin, & Mericum Hiſpanum, quibus tantam rem crederem, potiores habui? Non eſtis extremi Syracuſanorum, quippe qui aliis humilitatem objiciatis. Quis eſt veſtrûm, qui ſe mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem acceptorum promiſerit? Odiſtis,

&

& execramini eos qui fecerunt, & ne hic quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abeſt, ut & ipſi tale quicquam facturi fueritis. Ipſa humilitas eorum, P. C. quam iſti objiciunt, maximo argumento eſt, me neminem, qui navatam operam Reipublicæ noſtræ velit, averſatum eſſe. Et antequam obſiderem Syracuſas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pacem: & poſteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipſi congreſſo ad portas cum principibus reſponſum dabatur, multis terra marique exhauſtis laboribus, tandem vi atque armis Syracuſas cepi. Quæ captis acciderint, apud Annibalem & Carthaginienſes, victoſque juſtius, quàm apud victoris populi Romani ſenatum, quererentur. Ego, P. C. Syracuſas ſpoliatas ſi negaturus eſſem, nunquam ſpoliis earum urbem Romam exornarem. quæ autem ſingulis victor aut ademi aut dedi; cum belli jure, tum ex cujuſque merito, ſatis ſcio me feciſſe. Ea vos rata habeatis, P. C. necne, magis Reipub. intereſt, quàm mea. Mea quippe fides exſoluta eſt: ad Rempub. pertinet, ne acta mea reſcindendo, alios in poſterum ſegniores duces faciatis. Et quoniam coram, & Siculorum, & mea verba audiſtis, P. C. ſimul templo excedemus, ut me abſente liberius conſuli ſenatus poſſit.

ORATIO
P. SCIPIONIS ad veteres milites.

ARGVMENTVM.

P. Scipio is cujus pater atque patruus in Hiſpania interfecti fuerant, omnium centuriarum tribuumve conſenſu ante quartum & viceſimum annum ad bellum Hiſpanicum imperator delectus erat. Iam vero ad id tempus vetus exercitus patris atque patrui in Hiſpania manſerat: ad quem Tarracone primo vere veniens, quum Iberum trajecturus

clurus esset, ita ejus exercitus animos ad bellum præparavit.

NEMO ante me novus imperator militibus suis, prius quam eorum operâ usus esset, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis, priusquam provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna; primum, quod ea pietate erga patrem patruumque meum vivos mortuosque fuistis: deinde, quod amissam tantâ clade provinciæ possessionem, integram & populo Romano, & successori mihi virtute vestra obtinuistis. Sed quum jam benignitate Deûm id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant, nec ut pro ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis, sed ut ultro transeamus, transferamusque bellum; vereor ne cui vestrûm majus id audaciusque consilium, quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum; aut pro ætate mea videatur. Adversæ pugnæ in Hispania, nullius in animo, quam meo, minus obliterari possunt: quippe cui pater & patruus, intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut *familiaris pene orbitas ac solitudo frangit animum*; ita publica cum fortuna tum virtus, desperare de summa rerum prohibet; eo fato, quo donata nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: à Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Jam quid hoc de bello memorem? Omnibus aut ipse adfui cladibus, aut quibus abfui maximè unus omnium eas sensi. Trebia, Thrasymenus, Cannæ, quid aliud sunt quam monumenta occisorum exercituum consulumque Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ, majoris partis Sardiniæ; Adde ultimum terrorem ac pavorem, castra Punica inter Anienem & mœnia Romana posita: & *visum prope in portis victorem Annibalem. In hac ruina re-*

rerum ſtetit una integra atque immobilis virtus populi Romani? Hæc omnia ſtrata humi erexit ac ſuſtulit. Vos omnium primi, milites, poſt Cannenſem cladem vadenti Aſdrubali ad Alpes Italiamque (qui ſi ſe cum fratre conjunxiſſet, nullum jam nomen eſſet populi Romani) ductu auſpicioque patris mei obſtitiſtis. & hæ ſecundæ res illas adverſas ſuſtinuerunt. Nunc benignitate Deùm omnia ſecunda, proſpera, indies lætiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia, Syracuſæ, Agrigentumque captum. pulſi tota inſula hoſtes, receptaque provincia in ditionē populi Romani eſt. In Italia Arpi recepti, Capua capta, Iter omne ab urbe Roma trepida fuga emenſus Annibal, in extremum angulum agri Brutii compulſus; nihil jam majus precatur Deos, quàm ut incolumi cedere atque abire ex hoſtium terra liceat. Quid igitur minus conveniat, milites, quam quum aliæ ſuper alias clades cumularentur, ac Dii prope ipſi cum Annibale ſtarent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim ipſi etiam honore nominis) ſuſtinuiſſe labantē fortunam populi Romani: nunc eoſdem, quia illic omnia ſecunda lætaque ſunt, animis deficere? Nuper quoque quæ acciderunt, utinam tam ſine meo luctu, quam veſtro, tranſiſſent? Nunc Dii immortales imperii Romani præſides, qui centuriis omnibus ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores, iidem auguriis auſpiciiſque, & per nocturnos etiam viſus omnia læta & proſpera portendunt. Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, præſagit, noſtram Hiſpaniam eſſe: brevi extorre hinc omne Punicum nomen, maria terraſque fœda fuga impleturum. Quod mens ſua ſponte divinat, idem ſubjicit ratio haud fallax. Vexati ab iis ſocii, noſtram fidem per legatos implorant, tres duces diſcrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam exercitus in diverſiſſimas regiones diſtraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ

nuper

nuper nos afflixit. nam & deſeruntur ab ſociis, ut prius ab Celtiberis nos: & diduxerunt exercitus; quæ patri, patruoque meo cauſa exitii fuit. *Nec diſcordia inteſtina coire eos in unum ſinet*, neque ſinguli nobis reſiſtere poterunt. Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, ſoboli imperatorum veſtrorum, velut acciſis recreſcenti ſtirpibus. Agite milites veteres, novum exercitum, novumque ducem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis ſæpe à vobis peragratas. Brevi faciam, ut quemadmodum nunc noſcitatis in me *patris patruique ſimilitudinem oris vultuſque, & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, virtutiſque exemplum expreſſam ad effigiem vobis reddam*; ut revixiſſe, aut renatum ſibi quiſque Scipionem imperatorem dicat.

ORATIO
P. SCIPIONIS ad milites.
ARGUMENTUM.

Trajecto Ibero, P. Scipio Carthaginem novam oppugnare ſtatuerat: jamque ab ea non ita longum iter aberat, quum inſcius omnibus, præter unum Lælium, quo proficiſci pararet, concione advocata, ad oppugnationem urbis ita milites exhortatus eſt.

AD urbem unam oppugnandam, ſi quis vos adductos credit, is magis operis veſtri, quàm emolumenti rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim verè mœnia unius urbis, ſed in una urbe univerſam ceperitis Hiſpaniam. Hic ſunt obſides omnium nobilium regum populorumque: qui ſimul in poteſtate veſtra erunt, extemplo omnia quæ nunc ſub Carthaginienſibus ſunt, in ditionem noſtram tradent. Hic *pecunia omnis* hoſtium, *ſine qua ne neque* illi *gerere bellum poſſunt, quippe qui mercenarios exercitus alant*: & quæ nobis maximo uſui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hic tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus

tus belli est; qui simul & vos instruet, & hostes nudabit. Potiemur præterea quum pulcherrima opulentissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio, unde terra marique, quæ belli usus poscunt, suppeditentur: quæ quum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo majora. *Hæc* illis *arx*, hæc *horreum*, *ærarium*, *armamentarium*, hæc *omnium rerum receptaculum* est: Huc rectus ex Africa cursus est: hæc una inter Pyrenæum & Gades statio: hinc omnis Hispania imminet Africæ. Sed quoniam vos instructos & ordinatos cognosco, ad Carthaginem novam oppugnandam totius viribus & bono animo transeamus.

ORATIO P. SCIPIONIS ad Lucejum Celtiberorum principem, quum ei sponsam reddidit.

ARGUMENTUM.

Hoc ad priorem orationem pertinet. Capta Carthagine nova, quum inter recensendos obsides nomina civitatum acciperet Scipio, missis nuntiis admonebat obsidum parentes, ut ad suos quisque recipiendos Carthaginem venirent. Adducta ad eum tum fuit adulta virgo eximiæ atque spectatæ formæ: ex qua percontatus ipse patriam & parentes, quum acciperet, eam desponsatam Lucejo adolescenti Celtiberorum principi, extemplo parentes sponsumque acciri jubet. Ubi primum sponsus venit, hoc cum sermone alloquitur.

IUvenis juvenem appello: quo minus sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego, quum sponsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audiremque *eam tibi cordi esse*, *& forma faceret fidem*; quia ipse, *si frui iceret ludo ætatis*, præsertim illecto recto & legitimo amore) & non Respub. animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cuius sponsa es, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eâdem, quâ apud

apud ſoceros tuos parenteſque ſuos verecundia: ſervata tibi eſt, ut inviolatum & dignum me teque dari tibi donum poſſet. Hanc mercedem unam pro eo munere paciſcor; amicus populo Romano ſis: & ſi me virum bonum credis eſſe, quales patrem patruumque meum jam ante hæ gentes norant, ſcias multos noſtri ſimiles in civitate Romana eſſe: nec ullum in terris populum hodie dici poſſe, quem minus tibi hoſtem tuiſque eſſe velis, aut amicum malis.

Ex vigeſimo ſeptimo libro ab urbe condita.

ORATIO M. MARCELLI AD SUOS.

ARGVMENTVM.

Canuſinos Annibal ad defectionem ſolicitans, quum Marcellum adverſus ſe contendere audiret, tum caſtra inde movere cœpit. Marcellus eum brevi intervallo conſequutus, tandem nihil magis quam juſtum prælium detrectantem, ad id quod vitabat certamẽ traxit. Veſperi congreſſos, æquo marte nox diremit. Poſtero die utrinque concurſum eſt: fuſi Romani primùm, deinde fugati cæſis millibus duobus & ſeptingentis. Ex ea pugna qui reſtiterant, in caſtra receptos Marcellus ita objurgavit.

DIIS immortalibus, ut in tali re, laudes grateſque ago, quod victor hoſtis cum tanto pavore incidentibus vobis in vallum portaſque, non ipſa caſtra eſt aggreſſus. Deſeruiſſetis profecto eodem terrore caſtra, quo omiſiſtis pugnam. Qui pavor hic? qui terror? quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, oblivio animos cepit? nempe iidem ſunt ii hoſtes, quos vincendo & victos ſequendo priorem ætatem abſumpſiſtis: quibus dies noctesque fugientibus per hos dies inſtitiſtis: quos levibus prœliis fatigaſtis, quos heſterno die nec iter facere, nec caſtra ponere paſſi eſtis. Omitto ea quibus gloriari poteſtis: & cujus & ipſis pudere ac pœnitere vos oportet, referam. nempe

æquis

æquis manibus hesterna die diremistis pugnam. Quid hæc nox, quid hæc dies attulit? vestræ his copiæ imminutæ sunt? an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus: corpora tantum atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? non adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur. vos illi hodierno die primum fugati exercitus dedistis decus.

ORATIO ANNIBALIS AD SUOS.

ARGVMENTVM.

Hoc cum proximo conjunctum est. Milites, quum jure se à Marcello objurgatos intelligerent, clamore sublato precabantur atque orabant, ut ejus modò pugnæ gratiam faceret: ita, ubi vellet, militum suorum animos experturum. Tum Marcellus in aciem eos se eductum postero die dicit, ubi victores potius quàm victi veniam impetrarent. Postero die, ut jussi erant, armati conveniunt. Quod ubi ad Annibalem allatum est, tum in hæc verba suos præparavit.

CUm eo nimirum *hoste* res est, *qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.*

Ex vicesimo octavo libro ab urbe condita.

ORATIO P. SCIPIONIS AD MILITES.

ARGUMENTUM.

Sucrone ad præsidium octo millia militum relicta erant: ii nimia primum licentiâ ex diutino otio collecta, deinde audita morte (incertis authoribus) Scipionis imperatoris, seditionem movent. Ac primum tribunos, quum viderent non modo in sententiam suam non descendere velle

sed iis quæ conabantur, obviam ire, ex castris fugant, Tum ad principes seditionis gregarios milites C. Albium Calenum, & C. Artium Umbrum, communi consensu, imperii summam deferunt: qui tribunitiis ornamentis non contenti summi etiam magistratus insignia, ut fasces, ut secures, assumunt. Non ita multo post nuntii certi & vivere Scipionem, & valere afferunt, quæ res ita omnium animos discruciabat ut jam imperatores ipsi sua insignia exhorrerent: vulgus tantum jactaret id factum esse quod non ad diem ipsum stipendia data & impensa essent. Carthaginem deinde interjectis aliquot diebus seditiosi omnes ingressi postero die vocati ad concionem à Scipione, hac concione reprehensi sunt, duces & authores capitali supplicio damnati.

NUnquam mihi defuturam orationem, quia exercitum meum alloquerer, credidi: non quod verba unquam potius quàm res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus, assueveram militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos nec quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui à patria vestra descivistis: an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis? sacramenti religionem rupistis? Hostes? *corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video.* Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, aut optastis aliud aut speraſtis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiæ nobilitatis viros, duces furoris sequuti sunt; vos auspicium & imperium ad Umbrum Atrium, & Calenum Albium, detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factum voluisse milites. paucorum eum furorem atque amentiam esse. Libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa, quæ vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possunt. *Invitus*

ea,

ea, tanquam vulnera attingo. sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum in tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea. sic me non solum adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris en meis! heu quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta solum, sed etiam exspectata est. Non quod ego vulgari facinus per omnes velim: (equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer: *nec me vita juvaret invisa civibus & militibus meis*) sed *multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est*, ut venti & auræ cient, ita aut tranquillum aut procellæ in vobis sunt: & *causa atque origo omnis furoris penes auctores est: vos contagione insanistis.* Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, *quo amentiæ progressi sitis:* quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque ac liberos, quid in Deos sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militastis, quid adversus morem militiæ disciplinamque majorum, quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis. De me ipso taceo: temere potius, quàm avide credideritis; Is denique ego sim, cujus imperii tædere exercitum minime mirandum sit. Patria quid de vobis meruerat? quam, cum Mandonio & Indibili consociando consilia, prodebatis? Quid populus Romanus? cuius imperium ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines privatos detulistis? quum eo ipso non contenti, si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos, quibus servus cui imperarent nunquam fuerat Romanus exercitus, detulistis. In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali Pro consulis P. Scipionis: lictor apparuit, Submovente eo incesserunt, fasces cum securibus prætoribus

ribus prælati sunt. Lapides pluere, & fulmina jaci de cœlo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis: hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine eorum qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Atque ego, (*quanquam nullum scelus rationem habet*) tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit, propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romano securi percussa sunt. Sed illi tamen, non Atrium Umbrum, semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Jubellium tribunum militum sequuti sunt: nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis hostibus populi Romani se conjunxerant, vos cum Mandonio & Indibili consilia communicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam Tuscis veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic tum Rhegium habituri perpetuam sedem erant: nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello. Sucronemne vos domicilium habituri eratis? Ubi si vos decedens confecta provincia imperator relinquerem, Deùm hominumque fidem implorare debebatis, quod non redieretis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique ejeceratis ex animis vestris Viam consilii scelerati, sed non ad ultimum dementis, exsequi volo. Méne vivo & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quator exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum, majoris certe omnes pretii, quàm Albius & Atrius sunt, quibus vos subjeciſtis, Hispaniam provinciam populo Romano erepturi eratis? Amolior & amoveo

moveo nomen meum. nihil ultra facile creditam mortem meam à vobis violatus ſim. Quid? ſi ego morerer, mecum exſpiratura Reſpub. mecum caſurum imperium populi Romani erat? ne iſtud Jupiter Optimus Maximus fierit urbem auſpicato Diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem eſſe. Flaminio, Paulo Æmilio Græcho, Poſthumio Albino, M. Marcello, T. Q. Criſpino, C. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam præclaris imperatoribus uno bello abſumptis ſuperſtes eſt populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus; meo unius funere elata Reſpub. eſſet? Vos ipſi hic in Hiſpania, patre & patruo meo, duobus imperatoribus interfectis, Septimium Martium ducem vobis adverſus exultantes recenti victoria Pœnos delegiſtis. & ſic loquor, tanquam ſine duce Hiſpaniæ futuræ fuerint? M. Sillanus eodem jure, eodem imperio mecum in provinciam miſſus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius legati, vindices majeſtatis imperii deeſſent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an cauſa comparari poterat? quibus ſi omnibus ſuperiores eſſetis, arma cum Pœnis contra patriam, contra cives veſtros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem urbi Romæ imperare velletis? Quam ob noxam patriæ? *Coriolanum quondam damnatio injuſta, miſerum & indignum exilium, ut iret ad oppugnandam patriam impulit: revocavit tamen à publico parricidio privata pietas.* Vos qui dolor, quæ ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis imperatore ægro ſerius numeratum? ſatis digna cauſa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Illergetes deſciſceretis à populo Romano? cur nihil divinarum humanarumve rerum inviolatum vobis eſſet? Inſaniſtis profectò milites: nec major in corpus meum vis morbi, quàm in veſtras mentes invaſit. Horret animus referre, quid crediderint

homines, quid ſperaverint, quid optaverint. Auferat omnia irrita oblivio, ſi poteſt: ſi non, utcunque ſilentium tegat. Non negaverim, triſtem atrocemque vobis viſam orationem meam; quanto creditis facta veſtra atrociora eſſe, quàm dicta mea? & me quæ feciſtis, pati æquum cenſetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo feretis? Sed ne ea quidem ipſa ultra exprobrabuntur. utinam tam facilè vos obliviſcamini eorum, quàm egò obliviſcar. Itaque quod ad vos univerſos attinet, *ſi erroris pœnitet, ſatis ſuperque pœnarum* habeo. Albius Calenus, & Atrius Umber, & cæteri nefariæ ſeditionis auctores, ſanguine luent quod admiſerunt. Vobis ſupplicii eorum ſpectaculum non modò non acerbum, ſed lætum etiam, ſi ſana mens rediit, debet eſſe. de nullis enim quam de vobis infeſtius, aut iniquius conſuluerunt.

ORATIO SAGUNTINORUM ad P.C. in ſenatu.

ARGUMENTUM.

Secundum bellum Punicum ſuſceptum erat nomine Saguntinorum. Quorum oppidum quum Annibal ſumma vi oppugnaret, miſſis Romam oratoribus auxilium ſocii adverſus Pœnos petiverunt. Annibali vero, quum legationibus factis eo nomine multis, nihilominus in oppugnando perſtaret, authoritate ſenatus bellum fuit indictum. Ita quicquid geſtum, quantumcunque cladium & incommodorum acceptum erat, nomine ac cauſa ipſorum acceptum. Itaque ne ingrati merito ac jure videri dicique poſſent, in ſecundis rebus ſuis & Romanorum, legatos Romam mittunt, qui pro tot beneficiis gratias agerent, gratularenturque bellum illud feliciter tandem ſucceſſiſſe. Ii in ſenatum introducti, ſic loquuti ſunt.

ETſi nihil ultra malorum eſt, P.C. quam quod paſſi ſumus, ut ad ultimum fidem vobis præſtaremus;

ſtaremus; tamen ea veſtra merita imperatorumque veſtrorum erga nos fuerunt, ut nos cladium noſtrarum non pœniteat. Bellum propter nos ſuſcepiſtis ſuſceptumque quartum decimum annum tam pertinaciter geritis, ut ſæpe ad ultimum diſcrimen & ipſi veneritis, & populum Carthaginienſem adduxeritis. Quum in Italia tam atrox bellum & Annibalem hoſtem haberetis, conſules cum exercitu in Hiſpaniam, velut ad colligendas reliquias naufragii noſtri miſiſtis. P. & Cn. Cornelii, ex quo in provinciam venerunt, nullo tempore deſtiterunt, quæ nobis ſecunda quæque adverſa hoſtibus noſtris eſſent, facere. Jam omnium primum opidum nobis reſtituerunt: per omnem Hiſpaniam civ noſtros venundatos, dimiſſis qui conquireren., ex ſervitute in libertatem reſtituerunt. Quum *jam prope eſſet, ut optabilem ex miſerrima fortunam haberemus*; P. & Cn. Cornelii imperatores veſtri luctuoſius nobis prope quam vobis perierunt. Tum vero ad hoc retracti ex diſtantibus locis in ſedem antiquam videbamur, ut iterum periremus, & alterum excidium patriæ videremus, nec ad perniciem noſtram Carthaginienſi utique aut duce aut exercitu opus eſſe: ab Turdetanis veterrimis hoſtibus, qui prioris quoque excidii cauſa nobis fuerant, extingui poſſe, quum ex inſperato repente miſiſtis nobis P. hunc Scipionem quem: fortunatiſſimi omnium Saguntinorum videmur, quia conſulem declaratum vidimus, ac vidiſſe nos civibus noſtris renunciaturi ſumus ſpem, opem, ſalutem noſtrum, qui quum plurimas hoſtium veſtrorum cepiſſet in Hiſpania urbes, ubique ex captivorum numero excerptos Saguntinos in patriam remiſit. Poſtremo Turdetaniam, adeo infeſtam nobis, ut illa genre incolumi ſtare Saguntum non poſſet, ita bello affliſit, ut non modo nobis, (abſit verbo invidia ſed ne poſteris quidem timenda noſtris eſſet. Deletam

urbem cernimus eorum, quorum in gratiam Saguntum deleverat Annibal. Vectigal ex agro eorum capimus, quod nobis non tam fructu jucundius est, quam ultione. Ob hæc, quibus majora neque sperare neque optare ab Diis immortalibus poteramus, gratias actum nos decem legatos Saguntinus Senatus populusque ad vos misit: simul gratulatum, quod ita res per hos annos in Hispania atque Italia gessistis, ut Hispaniam non Ibero amne tenus, sed qua terrarum ultimus finis Oceanus, domitâ armis habeatis, Italiæ, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Pœno. Jovi optimo maximo, prædi Capitolinæ arcis, non grates tantum ob hæc agere jussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergo ferre. Id uti permittatis, quæsumus utique si vobis ita videtur, quæ nobis imperatores vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua authoritate vestra faciatis.

ORATIO
Q. FABII MAXIMI, qua Scipioni Africam provinciam decerni dissuadet.

ARGUMENTUM.

Quum in senatu de provinciis referretur, communis omnium fama erat Africam novam provinciam etiam extra sortem P. Scipioni destinatam esse. Ac Scipio ipse jam consulem se declaratum non ad gerendum modo, sed ad perficiendum quoque bellum jactabat, quum Q. Fabius Maximus rogatus sententiam, in hæc verba Scipioni decernendam non esse Africam persuadere cœpit.

SCIO multis vestrûm videri, P. C. rem actam hodierna die agi, & frustra habiturum orationem, qui tanquam de integra re, de Africa provincia, sententiam dixerit. Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum certa jam provincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit, quam nec senatus censuit in hunc annum provinciam esse, nec populus

populus jussit. deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre, senatum ludibrio habet, non senatorem modo, qui de quo consulitur, suo loco dicit Sententiam. Atque ego certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam trajiciendi, duarum rerum subeundam opinionem esse; unius, *insitæ ingenio meo cunctationis*, quam metum pigritiamque homines adolescentes sanè appellent, dum me non pœniteat; adhuc *aliorum speciosiora primo aspectu consilia semper visa, meâ usu meliora.* alterius, obtrectationis atque invidiæ adversum crescentem indies gloriam fortissimi consulis. A qua suspicione, si me neque vita acta & mores mei, neque dictatura cum quinque consulatibus tantumque gloriæ belli domique partæ vindicat, ut propius fastidium ejus sim, quàm desiderium: ætas saltem liberet. *quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidem meo æqualis sit? Me dictatorem*, quum vigerem adhuc viribus & in cursu maximarum rerum essem, *recusantem nemo* aut in senatu, aut ad populum audivit, *quo minus* insectanti me magistro equitum, quod fando nunquam antè auditum erat, imperium mecum æquaretur: *rebus quàm verbis assequi malui*, ut qui aliorum judicio mihi comparatus erat, sua mox confessione me sibi præferret: nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atque æmulationes cum adolescente florentissimo proponam; videlicet ut mihi (jam vivendo, non solum rebus gerendis fesso) si huic negata fuerit, Africa provincia decernatur. cum ea gloria, quæ parta est vivendum atque moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalem, ut à vobis, quorum vigent nunc vires, etiam vinci posset. Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum erit, si quum in me ipso *nunquam pluris famam hominum quam Rempub. fecerim;*

rim, ne tuam quidem gloriam bono publico præponam. quanquam si aut bellum nullum in Italia; aut is hostis esset, ex quo victo nihil gloriæ quæreretur; qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ tuæ ire ereptum videri posset. Quum vero Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat, pœnitebit te, P. Corneli, gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis causa fuit, tu consul Italia expuleris? & sicut penes C. Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te hujus fuerit? Nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa major clariorque, quàm hæc (modo contingat, ut te consule vincamus) futura est. Ab Drepano atque Eryce detraxisse Amilcarem, quam Italia expulisse Pœnos atque Annibalem, malis? ne tu quidem (etsi magis partam, quam speratam gloriam amplecteris) Hispania potius quam Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est, Annibal, quem non magis timuisse videatur, quam contempsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris? nec per istos circuitus, ut, quum in Africam trajeceris, sequuturum te illuc Annibalem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Annibal est, eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? *Hoc & natura prius est, tua quum defenderis, aliena ire oppugnatum.* Pax ante in Italia quam bellum in Africa sit: & *nobis prius decedat timor, quam ultro aliis inferatur.* Si utrumque tuo ductu auspicioque fieri potest, Annibale hic victo, illic Carthaginem expugna. Si alterutra victoria novis consulibus relinquenda est, prior quum major clariorque, tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem, præterquam quod & in Italia & in Africa duos diversos exercitus alere ærarium non potest; præter-

terquam quod unde classes tueamur, unde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil reliqui est? periculi tandem quantum adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid si (quod omnes Dii omen avertant, & dicere etiam reformidat animus, sed *quæ acciderunt, accidere possunt*) & victor Annibal ire ad urbem pergat? tum demum te consulem ex Africa, sicut Q. Fulvium à Capua, accersemus? Quid quod in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua, pater patruusque, intra triginta dies cum exercitibus cæsi, documento sint, ubi per aliquot annos maximis rebus terra marique gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes populi Romani vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat, si reges, imperatoresque, temere in hostium terras transgressos, cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, numerare velim. Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto, authore æquè impigro ac nobili juvene, magna classe in Siciliam transmissa, una pugna navali florentem Rempub. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & *M. Atilius, insigne utriusque fortunæ exemplum*, nobis documento sint. Næ tibi, P. Corneli, quum ex alio Africam conspexeris, ludus & jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. Quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ Galliæque vectus, Emporias in urbem sociorum classem appulisti; expositos milites, per tutissima omnia ad socios & amicos populi Romani, Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos imperatores, ferociores ipsâ facti: calamitate dux tumultuarius quidem ille L. Martius, & militari suffragio ad tempus lectus, cæterum si nobilitas ac justi honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli

belli par : oppugnata per ſummum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum ſocios defendente. Cætera (neque ea elevo) nullo tamen modo Africo bello comparanda ; ubi non portus ullus claſſi noſtræ apertus, non ager pacatus, non civitas ſocia ; non rex amicus, non conſiſtendi uſquam locus, non procedendi. *Quacunque circumſpexeris, hoſtilia omnia atque infeſta.* An Syphaci Numidiſque credis ? Satis ſit ſemel creditum. *Non ſemper temeritas eſt felix.* & *fraus fidem in parvis ſibi præſtruit, ut quum operæ pretium ſit, cum mercede magna fallat.* Non hoſtes patrem patruumque tuum armis prius, quàm Celtiberi ſocii fraude circumvenerunt : nec tibi ipſi à Magone & Aſdrubale hoſtium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus ? Et Syphax & Maſaniſſa ſe, quàm Carthaginienſes, malum potentiſſimos in Africa eſſe : Carthaginienſes, quàm quenquam alium. *Nunc illos æmulatio inter ſeſe, & omnes cáuſæ certaminum acuunt, quia procul externus metus eſt.* Oſtende illis Romana arma, & exercitum alienigenam ; jam *veluti ad commune reſtinguendum incendium* concurrent. Aliter iidem illi Carthaginienſes Hiſpaniam defenderunt : aliter mœnia patriæ, templa Deûm, aras, focos, defendent ; quum euntes in prælium pavida proſequetur conjunx, & parvi liberi occurſabunt. Quid porro ? ſi ſatis confiſi Carthaginienſes conſenſu Africæ, fide ſociorum regum, mœnibus ſuis, quum ſuo exercituſque tui præſidio nudatam Italiam viderint, ipſi ultro novum exercitum in Italiam aut ex Africa miſerint, aut Magonem, quem à Balearibus claſſe tranſmiſſa jam præter oram Ligurum Alpinorum vectari conſtat, Annibali ſe conjungere juſſerint ? Nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, quum Aſdrubal

in

in Italiam transcendit: quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italiam emisisti. Victum à te dices: eo quidem minus vellem, & id tua, non Reipubl. solum causa, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quæ *prospera tibi* ac Reipublicæ in imperio evenere: *tuo consilio assignare*: *adversa casibus incertis belli & fortunæ* legare. Quo melior fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Annibal sit, ibi caput atque arcem hujus belli esse; quippe qui præ te feras, eam tibi causam trajiciendi in Africam esse, ut Annibalem eo trahas. Sive igitur hic, sive illic, cum Annibale est tibi futura res. Utrum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic tuo collegæque exercitu conjuncto? Ne Claudius quidem & Livius consules tam recenti exemplo, *quantum id interfit* documento sunt? Quid? Annibalem utrum tandem extremus angulus agri Bruttii frustra jam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa, protentiorem armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere, ubi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo majores quam ubi duobus exercitibus adversus unum, tot præliis & tam diuturna & gravi militia fessum, pugnandum sit? Quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille consul profectus in Hispaniam, ut Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex provincia rediit: tu, quum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras, non quia Reipub. id utile, sed quia tibi amplum & glorioſum censes esse: sicut quum provincia & exercitu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus navibus populi Romani imperator fortunam publicam & majestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti.

miſiſti. Ego P. Cornelium, P. C. Reipub. nobiſque non ſibi ipſi privatim creatum conſulem exiſtimo, exercituſque ad cuſtodiam urbis atque Italiæ ſcriptos eſſe, non quos regio more per ſuperbiam conſules, quo terrarum velint, trajiciant.

ORATIO
P. CORNELII Scipionis orationi præcedenti. Q. Fabii reſpondens.

QUINTUS Fabius principio orationis, P. C., commemoravit, in ſententia ſua poſſe obtrectationem ſuſpectam eſſe, cujus ego rei non tam ipſe auſim tantũ virum inſimulare, quam quod ea ſuſpicio, vitio orationis an rei, haud ſane purgata eſt. Sic enim honores ſuos & famam rerum geſtarum extulit verbis, ad exſtinguendum invidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum ſit, ne mecum æmuletur: & non ab eo, qui quia ſuper cæteros excellat, quo me quoque niti non diſſimulo, me ſibi æquari nolit. Sic ſenem ſe perfunctum honoribus, & me infra ætatem filii etiam ſui poſuit; *tanquam non longius quàm quantum vitæ humanæ ſpatium eſt, cupiditas gloriæ extendatur, maximaque pars ejus in memoriam ac poſteritatem promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut ſe non cum præſentibus modo, ſed cum omnis ævi claris viris comparet.* Equidem haud diſſimulo, me tuas, Q. Fabi, laudes non aſſequi ſolum velle, ſed (bona venia tua dixerim) ſi poſſim, etiam exſuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi ſit, ut nolimus quenquam noſtri ſimilem evadere civem. Id enim non eorum modo, quibus inviderimus, ſed Reipub. & penè omnis generis humani detrimentum ſit. Commemoravit, quantum eſſem periculi aditurus, ſi in Africam trajicerem: ut meam quoque non ſolum Reipub. & exercitus vicem videretur ſolicitus. Unde hæc repente de me cura exorta? Quum pater patruuſque meus interfecti, quum duo ex-

exercitus eorum prope occidione occisi essent, quum amissæ Hispaniæ, quum quatuor exercitus Pœnorum, quatuor duces omnia metu armisque tenerent, quum quæsitus ad id bellum imperator nemo se ostenderet, præter me, nemo profiteri nomen ausus esset, quum mihi quatuor & viginti annos nato detulisset imperium populus Romanus; quid ita tum nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem belli, patris patruique recentem cladem commemorabat? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm tunc in Hispania erat? An majores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioresque, quàm tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit quàm nunc est? An cum Carthaginienſi hoste in Hispania, quam in Africa bellum geri aptius est? Facile est post fusos fugatosque quatuor exercitus Punicos, post tot urbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia usque ad Oceanum, tot regulos, tot sævas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita ut vestigium nullum belli reliquum sit, elevare meas res gestas: tam hercule quàm si victor ex Africa redierim, ea ipsa elevare, quæ nunc retinendi mei causa, ut terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse in Africam, negat ullos patere portus, M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquam M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit. neque recordatur, illi ipsi tam infelici imperatori patuisse tamen portus Africæ, & res egregias primo anno gessisse: & quantum ad Carthaginienses duces attinet, invictum ad ultimum permansisse. Nihil igitur me isto exemplo terrueris: si hoc bello, non priore, si nuper, non annis ante quadraginta, ista clades accepta foret; quin ego minus in Africam Regulo capto, quàm Scipionibus occisis in Hispaniam, trajicerem? Nec felicius Xantippum Lacedæmonium Carthagini, quàm me patriæ

patriæ meæ ſinerem natum eſſe. *creſceretque mihi ex eo ipſo fiducia, quòd poſſit in hominis unius virtute, tantum momenti eſſe.* At etiam Athienſes audiendi ſunt, temere in Siciliam, omiſſo domi bello, trangreſſi. Cur ego (quoniam Græcas fabulas narrare vacat) non Agathoclem potius Syracuſanum regem, quum diu Sicilia Punico bello ureretur, tranſgeſſum in hanc eandem Africam, avertiſſe eo bellum unde venerat, refers? Sed quid ultro metum inferre hoſti, & ab ſe remoto periculo alium in diſcrimen adducere, quale ſit, veteribus externiſque exemplis admonere opus eſt? Majus præſentiuſque ullum exemplum eſſe quàm Annibal poteſt? multum intereſt, alienos populere fines, an tuos uri exſcindique videas. *Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti.* Ad hoc, *major ignotarum rerum eſt terror*: bona malaque hoſtium ex propinquo ingreſſus fines adſpicias. Non ſperaverat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad ſe deficerent, quot defecerunt poſt Cannenſem cladem, quanto *minus quicquam* in Africa Carthaginienſibus *firmum ac ſtabile eſt, infidis ſocius, gravibus ac ſuperbis dominis?* Ad hæc nos, etiam deſerti ab ſociis, viribus noſtris, milite Romano, ſtetimus. Carthagine nihil civilis roboris eſt. mercede parati milites habent, *Afros, Numidaſque, leviſſima fidei mutandæ ingenia.* Hic modo nihil moræ ſit, una & trajecîſſe me audietis, & ardere bello Africam, & molientem hinc Annibalem, & obſideri Carthaginem. Iætiores & frequentiores ex Africa exſpectate nuntios, quàm ex Hiſpania accipiebatis. Has mihi ſpes ſubjicit fortuna populi Romani. Dii fœderis ab hoſte violati teſtes, Syphax & Maſaniſſa reges: quorum ego fidei ita innitar, ut bene tutus à perfidia ſim. Multa quæ nunc ex intervallo non apparent, bellum aperiet. Et, *Id eſt viri & ducis, non deeſſe fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium.* Habebo, Quinte Fabi,

Fabi, parem quidem Annibalem; sed illum potius ego traham quam ille me retineat. In sua terra cogam pugnare eum, & *Carthago potius præmium victoriæ erit, quam semiruta Bruttiorum castella.* Nequid interim, dum trajicio, dum expono exercitum in Africam, dum castra ad Carthaginem promoveo, Respublica hic detrimenti capiat, quod tu, Q. Fabi, quum victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare, hoc vide ne contumeliosum sit, concusso jam & pene fracto Annibale, negare, posse P. Licinium consulem virum fortissimum præstare, qui, ne à sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venit. Si, hercule, nihilo maturius hoc quo ego censeo modo perficeretur bellum, tamen ad dignitatem populi Romani famamque apud reges gentesque externas pertinebat, non ad defendendam modo Italiam sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse; non hoc credi vulgarique, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere; & priore Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Africam nostris exercitibus & classibus oppugnatam, nunc quum de Italia certatur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando vexata tamdiu Italia: utatur, evasteturque invicem Africa. Castra Romana potius Carthaginis portis immineant, quam nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per XIV. annos ingruerunt, vertantur. Quæ ad Rempub. pertinent, & bellum quod instat, & provincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit, si, quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania elevavit, sic & ego contra gloriam ejus eludere, & meam verbis extollere velim. Neutrum faciam, P. C. &, si ulla alia re, *modestia*

deſtia certe, & temperando Linguæ adoleſcens ſenem vicero. Ita & vixi & res geſſi, ut tacitus ea opinione, quam veſtra ſponte conceptam animis haberetis, facile contentus eſſem.

Ex trigeſimo libro ab Urbe condita.

ORATIO SOPHRONISBÆ uxoris Syphacis ad Maſaniſſam.

ARGUMENTUM.

Capto Syphace Maſaniſſa Cirtham, caput regni Syphacis, quo ex fuga magna vis hominum ſe receperat, ire deſtinabat: ac vocatis ad colloquium primoribus civitatis, non impetrare ante potuit ut urbem dederent, quàm Syphacem regem vinctum in conſpectum dari juſſit. Ingreſſus deinde Cirtham, præſidiis ad portas dimiſſis, ne cui pateret egreſſus, ipſe citato equo ad regiam ire pergebat quum Sophronisba Syphacis uxor in regiæ veſtibulo occurrens ita cum ipſo loquuta eſt.

OMNIA quidem ut poſſes in nos, Dii tibi dederunt, virtuſque & felicitas tua. ſed ſi captivæ apud dominum vitæ neciſque ſuæ vocem ſupplicem mittere licet, ſi genua, ſi victricem attingere dextrã, precor quæſoque per majeſtatem regiam in qua paulo ante nos quoque fuimus, perque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per hujuſce regiæ Deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miſerunt; hanc veniam ſupplici des, ut ipſe, quodcunq; feret animus, *de captiva ſtatuas neque me in cujuſquam Romani ſuperbum ac crudele arbitrium venire ſinas.* Si nihil aliud quam Syphacis uxor fuiſſem, tamen Numidæ atque in eadem mecum Africa geniti, quàm alienigenæ & externi fidem experiri mallem. Quid Carthaginienſi ab Romano, quid filiæ Aſdrubalis timendum ſit, vides. Si nulla alia re potes, me morte ut vindices ab Romanorũ arbitrio, oro obteſtorque.

ORA-

ORATIO
P. SCIPIONIS ad Masanissam.
ARGVMENTVM.

Introductus ad Scipionem Syphax, quum interrogaretur, quid ita se moviſſet ad ſumenda arma contra Romanos, reſponderat, Vxoris meæ peſtidia. Quæ vox in cauſa fuit, ut P. Scipio plura de hac ipſa re cognoſcere cuperet. Itaque jactis ultro citroque multis quæ ad eam rem pertinerent eo tandem ventum eſt ut Syphax ipſe uxorem ſuam prædicaret à Maſaniſſa ſic amari, ut jam inter eos de matrimonio conventum eſſet. Ægre tulit ipſum illud Scipio ac per occaſionem in hæc verba à fœda libidine Maſaniſſam deterrebat.

ALIQUA te exiſtimo, Maſaniſſa, intuentem in me bona, & principio in Hiſpania, ad jungendam mecum amicitiam veniſſe, & poſtea in Africa teipſum ſpeſque omnes tuas in fidem meam commiſiſſe; Atqui nulla earum virtus eſt, propter quas appetendus tibi viſus ſim, qua ego æquè atque *temperantia & continentia libidinum gloriatus* fuerim. *Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes*, Maſaniſſa, *adjeciſſe velim: Nam non eſt* (mihi crede) *tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum ab circumfuſis undique voluptatibus. Qui eas ſua temperantia frænavit ac domuit, is multo majus decus majoremque victoriam ſibi peperit, quàm nos Syphace victo habemus.* Quæ me abſente ſtrenuè ac fortiter feciſti, libenter & commemoravi, & memini. cætera teipſum reputare tecum, quàm me dicente, erubeſcere malo. Syphax Populi Romani auſpiciis victus captuſque eſt. Itaque ipſe, conjux, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani eſt: Et regem, conjugemque ejus, etiamſi non civis Carthaginienſis eſſet, etiamſi non patrem ejus imperatorem hoſtium videremus, Romam opor-

oporteret mitti, ac ſenatus populique Romani de ea judicium atque arbitrium eſſe quæ regem nobis ſocium alienaſſe, atque in arma egiſſe præcipitem dicatur. *Vince animum*, cave ne *deformes multa bona uno vitio*, & *tot meritorum gratiam majore culpa, quàm cauſa culpæ eſt, corrumpas.*

ORATIO
ANNIBALIS ad P. Scipionem de pace.

ARGVMENTVM.

Digreſſus ex Italia Annibal, quum Africam repetens, Zamam quæ quinque tantum dierum iter Carthagine abeſt, perveniſſet, præmiſit exploratores, qui cognoſcerent quonam in ſtatu res illic Romanorum eſſent, Speculatores à cuſtodibus in caſtra deducti, omiſſo metu viſere omnia & contemplari juſſi. Regreſſi quum læta omnia non ſæcus quam in certa victoria nuntiarent, tum demum de pace Annibal cogitare cœpit: ac per ſuos Scipioni accito ad colloquium, conditiones pacis ferendas eſſe ita ſuaſit.

SI hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties propè in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem, lætor te mihi ſorte potiſſimum datum, à quo pacem peterem. Tibi quoq; inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui de tot Romanis ducibus victoriam Dii dediſſent, tibi ceſſiſſe: teque huic bello, veſtris prius quam noſtris cladibus inſigni, finem impoſuiſſe. Hoc quoque ludibrium fortunæ caſus ediderit, ut, cum patre tuo conſule ceperim arma, cùm eodem primum Romano imperatore ſigna contulerim, ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam patribus noſtris mentem datam ab Diis eſſe, ut & vos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti eſſemus: neque enim ne nobis quidem Sicilia atque Sardinia ſatis digna prætia ſunt pro tot claſſibus,

tot

tot exercitibus, tot tamque egregiis amissis ducibus. Sed, *præterita magis reprehendi possunt, quam corrigi.* Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus; nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed & vos in portis vestris propè ac mœnibus signa armaque hostium vidistis, & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudivimus. Quod igitur nos maximè abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur; agimusque ii, quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcunque egerimus, ratum civitates nostræ habituræ sint. *animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis consiliis.* Quod ad me attinet, *jam ætas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum; jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi quàm fortunam malim.* Tuam & adolescentiam, & perpetuam felicitatem, ferociora utraque quam quietis opus est consiliis, metuo. *Non temere incerta casuum reputat quem fortuna nunquam decepit.* Quod ego fui ad Thrasymenum, Cannas, id tu hodie es. vixdum militari ætate imperio accepto *omnia audaciſſimè incipientem nusquam fefellit fortuna.* Patris & patrui persecutus mortem, ab calamitate vestræ domus decus insigne virtutis pietatisque eximiæ cepisti, amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punici exercitibus pulsis. Consul creatus, quum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum jam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. *Potest victoriam malle, quam pacem animus.* Novi vobis *spiritus magnos magis quàm utiles.* & *mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quodsi in secundis rebus bonam quoque men-*

mentem darent Dii, non ea solum quæ evenissent, sed etiam ea quæ evenire possent reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam prope scandentem mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus orbatum, ante mœnia propè obsessæ patriæ, quibus tertui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. MAXIMÆ *cuique fortunæ minime credendum est.* In *bonis tuis rebus*, nostris dubiis, tibi *ampla ac speciosa danti est pax.* nobis *petentibus magis necessaria quàm honesta: Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria: hæc in tua, illa in Deorum manu est.* Ne tot annorum felicitatem, in unius horæ dederis discrimen; Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo; Utrinque ferrum, corpora humana erunt. *nusquam minus quàm in bello eventus respondent.* Non tantum ad id quod data pace jam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adjeceris, quantum ademeris, siquid adversi eveniat. *Simul parta ac sperata decora, unius horæ fortuna evertere potest.* Omnia in pace jungenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam Dii dederint. *Inter pauca felicitatis virtutisque exempla.* M. Attilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed *non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. Est quidem ejus qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis!* sed forsitan non indigni simus, qui nobismetipsis mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia propter quæ bellum initum est, vestra sint; Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari. Carthaginienses, inclusi Africæ littoribus, vos (quando ita Diis placuit) externa etiam terra

tetra marique videamus regentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis sincere petitam aut exspectatam nuper pacem, *suspectam esse* vobis *Punicam fidem*. Multum per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet. Scipio, Vestri quoque (ut audio) patres nonnihil etiam ob hoc; quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Annibal peto pacem, qui neque peterem nisi utilem crederem, & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam peto; Et quemadmodum, quia à me bellum cœptum est, nec quem ejus pœniteret, quoad ipsi non invidere Dei, præstiti; ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.

ORATIO SCIPIONIS ad Annibalem.

ARGUMENTUM.

NON me fallebat, Annibal, adventus tui spe Carthaginienses & præsentem induciarum fidem & spem pacis turbasse; neque tu id sane dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea quæ jampridem in nostra potestate sunt. Cæterum sicut tibi curæ est, sentire cives tuos, quanto per te onere leventur: sic mihi laborandum est, ne quæ tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis, præmia perfidiæ habeant; indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam profit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum; & tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac justa induerunt arma. Vos lacessisse, & tu ipse fateris, & Dii testes sunt: qui & illius belli exitum secundum jus fasque dederunt; & hujus dant & dabunt. *Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subjecta esse mille casibus scio.*

Cæte-

Cæterùm quemadmodum ſuperbè & violenter me faterer facere, ſi, priuſquam in Africam trajeciſſem, te tua voluntate cedentem Italia, & impoſito in naves exercitu ipſum venientem ad pacem petendam aſpernarer: ſic nunc, quum prope manu conſerta reſtitantem ac tergiverſantem in Africam attraxerim, nulla ſum tibi verecundia obſtrictus. Proinde ſi quid ad ea, in quæ tum pax conventura videbatur (quæ ſint, noſti: mulctæ navium cum commeatu per inducias expugnatarum, legatorumque violatorum) adjicitur, eſt quod referam ad concilium. Sin illa quoque graviora videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuiſtis.

ORATIO ANNIBALIS AD CARTHGINIENSES, qui reprehenderant quod riſiſſet in communi fletu.

ARGVMENTVM.

Inter alias pacis conditiones Carthaginienſibus petentibus pacem à Scipione authoritate ſenatus datas, id etiam propoſitum erat, ut in annos quinquaginta decem millia talentûm argenti penſionibus æquis ſolverent. Prima collatio pecuniæ longo bello exhauſtis difficilis videbatur: itaque quum ob eam ipſam cauſam cæteris in curia Carthaginienſi mærentibus atque flentibus unus Annibal rideret, tum Aſdrubal Hœdus ridentem in publico fletu atque luctu increpavit, quum præſertim earum lacrymarum ipſe cauſa eſſet. Tum Annibal in hanc ſententiam reſpondit objurganti atque cæteris.

SI quemadmodum oris habitus cernitur oculis, ſic & animus intus cerni poſſet, facile vobis appareret, non læti, ſed prope amentis malis cordis hunc quem increpatis, riſum eſſe, qui tamen nequaquam adeo eſt intempeſtivus, quàm veſtræ iſtæ abſurdæ atque abhorrentes lacrymæ ſunt. Tunc fleſſe decuit, quum adempta nobis arma, incenſæ naves,

naves, interdictum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. NULLA *magna civitas diu quiescere potest.* Si foris hostem non habet, domi invenit. *Vt prævalida corpora ab externis cáusis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur.* Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: *nec* in eis *quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat.* Itaque quum spolia victæ Carthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit. nunc quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. Quàm vereor ne propediem sentiatis levissimo in malo vos hodie lacrymasse.

Extricesimo secundo libro ab Urbe condita.]

ORATIO ARISTHENI PRÆTORIS Achæorum, qua eos objurgat.

ARGVMENTVM.

T. Quintius in obsidione Elatiæ, ratus, Cycliade principe factionis adversæ expulso, Achæorum animos à Philippo averti posse, legatos ad Achæos hac de re misit. Aristhenus erat prætor Achæorum qui ea in causa Romanis favebat. Is itaque quo die legati mandata exposuerant, quum propter imminentem noctem nihil transigi ac definiri posse videret, jus ferendi sententiam, dimisso senatu in posterum diem differt. Postero die potestate facta à magistratibus si quis vellet suadendi, nemo prodibat, quum Aristhenus ne tacitum senatum rursus dimitteret, ita Achæos ipse increpare cœpit.

UBI illa certamina animorum, Achæi, sunt, quibus in conviviis & circulis quum de Philippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperabatis. Nunc in concilio ad eam rem

unam indicto quum legatorum utrinque verba audieritis, quum referant magistratus, quum præco ad suadendum vocet, obmutuistis. Si non cura communis salutis; ne studia quidem quæ in hanc aut in illam partem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? quum præsertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, *dicendi ac suadendi quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc occasionem esse priusquam quicquam decernamus.* Ubi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus antè displicuerit pro bono atque utili fœdere defendendum.

Ex tricesimo quarto libro ab urbe condita.

ORATIO
M. CATONIS CONSULIS pro lege Oppia contra mulierum luxuriam.

ARGVMENTVM.

M. Oppius & T. Romulejus tribuni plebis inter procellas belli Punici, Q. Fabio & T. Sempronio consulibus legem tulerant nequa mulier plus semuncia auri haberet, non vestimento versicolori uteretur, nõ iuncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur. Ea lex ab altero latore Oppia dicta. Matronæ nobiles omnes homines ad legis abrogationem solicitabant: nec jam ulla authoritate, verecundia imperiove primorum patrum à limine senatus contineri atque arceri poterant. Nunc ad forum frequentes conveniebant, nunc per vias urbis discurrebant, orantes viros ut in tam secunda fortuna sibi ornatus adversis rebus negatus atque ademptus redderetur. Lex ipsa, præter tribunos pl. duos, M. quoque Porcium Catonem consulem defensorem habebat: cæteri ferè impugnabant. Is itaque Porcius Cato matronarum conciliabula tota urbe totis diebus frequentia præter morem fieri cernens, quum quid ita convenirent intellexisset, advocatâ concione

concione ita pro lege adversus luxuriam mulierum disseruit. L. Valerius tribunus p. is qui tulerat de lege abroganda, post Catonem, ut sequitur, pro mulieribus adversus legem Catoni respondet.

SI *in sua quisque nostrum matrefamilias*, Quirites, *jus & majestatem viri retinere instituisset, minus cum universis fœminis negotii haberemus.* nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: *quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus.* Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula conjuratione muliebri à stirpe sublatum esse. *Ab nullo genere non æque summum periculum est; si cœtus & concilia, & secretas consultationes esse sinas.* Atque ego vix *statuere apud animum meum* possum, utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. Quorum alterum ad nos consules reliquosque magistratus; alterum ad vos, Quirites, magis pertinet. Nam *utrum è Republica sit necne*, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, sive sua sponte, sive authoribus vobis, M. Fundani, & L. Valeri facta est, haud dubio ad culpam magistratuum pertinens, nescio vobis Tribunis an consulibus magis sit deformis: vobis, si fœminas ad concitandas tribunitias seditiones jam adduxistis: nobis, si ut plebis quondam sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulo ante per medium agmen mulierum in forum perveni. quod nisi me verecundia singularum magis majestatis & pudoris, quam universarum tenuisset, ne compellatæ à consule viderentur, dixissem: Qui hic mos est in publicum procurrendi, & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? Istud ipsum nos quæque domi rogare non potuistis? An blandiores in publico

quàm in privato,& alienis quàm veſtris eſtis? quanquam ne domi quidem vos, ſi ſui juris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur abrogarenturve, curare decuit. *Majores noſtri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt* : in manu eſſe parentum, fratrum, virorum; nos (ſi Diis placet) jam etiam Rempubl. capeſſere eas patimur, & foro quoque, & concionibus, & comitiis immiſceri? Quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt, quàm quod aliæ rogationes tribunorum plebis ſuadent, aliæ legem abrogandam cenſent? *Date frænos impotenti naturæ, & indomito animali*, & ſperate ipſas modum licentiæ facturas, niſi vos faciatis. Minimum hoc eorum eſt quæ iniquo animo fœminæ, ſibi aut moribus aut legibus injunctum, patiuntur. *omnium rerum libertatem, imò licentiam*, (ſi vera dicere volumus) *deſiderant*. Quid enim, ſi hoc expugnaverint, non tentabunt? Recenſete omnia muliebria jura, quibus licentiam eorum alligaverint majores noſtri, per quæque ſubjecerint viris: quibus omnibus conſtrictas vix tamen continere poteſtis. Quid? ſi capere ſingula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? extemplo, *ſimul pares eſſe cœperint, ſuperiores erunt*. At, Hercule, nequid novum in eas rogetur recuſant non jus, ſed injuriam deprecantur. Imò ut quam accepiſtis, juſſiſtis ſuffragiis veſtriis legem, quam uſu tot annorum & experiendo comprobaſtis, hanc ut abrogetis: id eſt, ut *unam tollendo legem cæteras infirmetis*. *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt* : id modo *quæritur, ſi majori parti, & in ſummam prodeſt*. ſi quod cuiquam privatim officiet jus, id deſtruet ac demolietur, quid attinebit univerſos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ ſunt, poſſint? Volo tamen audire quid ſit, propter quod matronæ conſternatæ procurrant in publicum, ac

vix

vix foro ſe & concione abſtineant. Ut captivi ab Annibale redimantur, patentes, viri, liberi, fratres earum? Procul abeſt, abſitque ſemper talis fortuna Reipubicæ: ſed tamen quum fuit, nequâquam hoc piis precibus earum. At non pietas, nec ſolicitudo pro ſuis, ſed religio congregavit eas. Matrem Idæam Peſſinunte ex Phrygia venientem acceptura ſunt. *Quid honeſtum dictu ſaltem ſeditioni prætenditur mulierbri?* Ut auro & purpura fulgeamus, inquiunt: ut *carpentis* feſtis profeſtiſque diebus, *velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis ſuffragiis veſtris, per urbem vehlemur*: ne ullus modus ſumptibus, nec luxuriæ ſit. Sæpe me querentem de fœminarum, ſæpe de virorum, nec de privatorum modo, ſed etiam magiſtratuum ſumptibus audiſtis; *diverſiſque duobus vitiis, avaritia & luxuria civitatem laborare: quæ peſtes omnia magna imperia everterunt.* Hæc ego, quo melior lætiorque in dies fortuna Reipub. eſt, qua magis imperium creſcit: & jam in Græciam Aſiamque tranſcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eo plus *horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas.* Infeſta (mihi credite) ſigna ab Syracuſis illata ſunt huic urbi, jam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudanteis, miranteiſque & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridenteis. Ego hos malo propitios Deos, & ita ſpero futuros, ſi in ſuis manere ſedibus patiemur. Patrum noſtrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus, non virorum modo, ſed etiam mulierum animos donis tentavit. nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. Quam cauſam fuiſſe cenſetis? *Eadem fuit, quæ maioribus noſtris, nihil de hac re lege ſanciendi, nulla erat luxuria, quæ coërceretur.* SICUT *ante mores neceſſe eſt cognitos eſſe; quàm remedia eorum: ſic cupi-*

ditates prius natæ ſunt quàm leges, quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus, niſi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis & muneribus niſi quia vectigalis jam & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui cœperat? Itaque minime mirum eſt, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem deſideratam eſſe, quæ modum ſumptibus mulierum faceret; quum aurum & purpuram data & oblata ultrò non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas urbem circumiret; ſtantes in publico inveniſſet quæ acciperent. Atque ego *nonnullarum cupiditatum ne cauſam* quidem *aut rationem inire poſſum.* Nam *ut quod alii liceat, tibi non licere, aliquid fortaſſe naturalis aut pudoris aut indignationis habeat*: ſic æquato omnium cultu, quid unaquæque veſtrûm veretur, ne in ſe conſpiciatur? *Peſſimus quidem pudor eſt vel parſimoniæ, vel paupertatis*; ſed utrumque lex vobis demit, quum id quod habere non licet non habetis. Hanc, inquit, ipſam exæquationem non fero, illa locuples. cur non inſignis auro & purpura conſpicior? cur paupertas aliarum ſub hac legis ſpecie latet, ut quod habere non poſſunt, habituræ, ſi liceret, fuiſſe videantur? Vultis hoc certamen uxoribus veſtris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia poſſit? pauperes, ne ob hoc ipſum contemnantur, ſupra vires ſe extendant? Næ, ſimul pudere, quod non oportet cœperit; quod oportet, non pudebit. quæ de ſuo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miſerum illum virum, & qui exoratus & qui non exoratus erit! quum quod ipſe non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, & quod majus eſt, legem & ſuffragia rogant; & à quibuſdam impetrant, adverſus te & rem tuam & liberos tuos inexorabiles ſimul lex modum ſumptibus uxoris tuæ facere deſierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco exiſtimare, Quirites, futuram rem

quo

quo fuit, antequam lex de hoc ferretur. *Et hominem improbum non accusari tutius est, quàm absolvi: & luxuria non mota tolerabilior esset, quàm erit nunc ipsis vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa.* Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo. vos quod faxitis, Deos omnes fortunate velim.

ORATIO
L. VALERII TRIBUNI PLEBIS
pro mulieribus contra legem Oppiam.

SI privati tantummodo ad suadendum dissuadendumque id quod à nobis rogatur, processissent, ego quoque quum satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra exspectassem. nunc quum vir gravissimus consul M. Porcius, non *authoritate* solum, *quæ tacita satis momenti habuisset*, sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere: qui tamen plura verba in castigandis matronis, quam in rogatione nostra dissuadenda consumpsit, & quidem ut in dubio poneret, utrum id quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis authoribus fecissent. Rem defendam, non nos: in quos jecit magis hæc consul verbotenus, quàm ut re insimularet. Cœtum & seditiones, & interdum secessionem muliebrem appellavit, quod matronæ in publico vos rogassent, ut legem in se latam per bellum temporibus duris in pace & florente ac beata Repub. abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ causa conquirantur, & hæc & alia esse scio: & *Catonem oratorem non solùm gravem, sed interdum etiam trucem esse* scimus omnes, *quum ingenio sit mitis.* Nam quid tandem novi matronæ fecerunt, quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? Nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? Tuas adversus te *Origines* revolvam. Accipe quoties id fecerint, & quidem semper bono publico. Jam à principio,

regnante Romulo, quum Capitolio à Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur? nonne intercursu matronarum inter acies duas prælium sedatum est? Quid? regibus exactis, quum Coriolano Martio duce, legiones Volscorum castra ad quintum lapidem posuissent; nonne id agmen, quo obruta hæc urbs esset, matronæ averterunt? Jam urbe capta à Gallis, aurum quo redempta urbs est, nempe matronæ consensu omnium in publicum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne & quum pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium, & quum Dii quoque novi ad opem ferendam dubiis rebus accerserentur, matronæ universæ ad mare profectæ sunt; ad matrem Idæam accipiendam? Dissimiles, inquit, causæ sunt. nec mihi causas æquare propositum est. nihil novi factum, purgare satis est. Cæterum, quod in rebus ad omnes pariter viros fœminasque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in causa propriè ad ipsas pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt? superbas mediusfidius aures habemus, si quum domini servorum non fastidiant preces, nos rogari ab honestis fœminis indignamur. Venio nunc ad id de quo agitur, in quo duplex consulis oratio fuit. Nam & legem ullam omnino abrogari est indignatus: & eam præcipuè legem quæ luxuriæ muliebris coërcendæ causa lata esset. Et illa communis pro legibus, visa consularis oratio est: & hæc adversus luxuriam, severissimis moribus conveniebat. Itaque periculum est, nisi, quid in utraque re vani sit docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim, quemadmodum *ex iis legibus*, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, *nullam abrogari debere* fateor, *nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit*; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video.

Quæ

Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? An vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata? An (quod secundum est) à decemviris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta? Sine qua quum maiores nostri non existimarint matronale decus servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque fœminarum abrogemus? Quis igitur nescit novam istam legem esse, Q. Fabio, T. Sempronio consulibus viginti annis antè latam? sine qua quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret: cur sit autem lata, ipsum indicavit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat: ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur. Defecerant socii, non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: servi, quibus arma darentur, ita ut pretium pro iis bello perfecto dominis solveretur, emebantur: In eandem diem, frumentum & cætera quæ belli usus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erant: servos ad remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne, à senatoribus eius rei initio orto, in publicum conferebamus: viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant. cautum erat, quò ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Tali eo tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant, ut ad eam coërcendam lex Oppia

desiderata sit: quum, quia Cereris sacrificium ingentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finiri luctum triginta diebus jussit. Cui non apparet, inopiam & miseriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniæ in usum publicum vertendæ erant, istam legem scripsisse, tamdiu mansuram, quamdiu causa scribendæ legis manssisset? Nam si quæ tunc temporis causa aut decrevit senatus, aut populus jussit, in perpetuum servari oportet, cur pecunias reddimus privatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur servi, qui militent, non emuntur? cur privati non damus remiges, sicut tunc dedimus? Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum Reipub. sentient; ad conjuges tantum nostras, pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis utentur, magistratibus in coloniis municipiisque, hîc Romæ infimo generi magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus; nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui, fœminis duntaxat purpuræ usum interdicemus? & quum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familias tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quam uxor vestita? Sed in purpura, quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? Præsidium potius in eo est & ad publicos & ad privatos usus, sicuti experti estis. Nullam æmulationem inter se singularem, quando nulla haberet, esse ajebat. At, Hercule, universis dolor et indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint: quum insignes eas esse auro et purpura, quum illas vehi per urbem,

se

se pedibus sequi : tanquam in illarum civitatibus non in sua imperium sit. *Virorum hoc animos valnerare posset : quid muliercularum censetis, quas etjam parva movent* ? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica iis contingere possunt ; Mundiciæ, ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt : his gaudent & gloriantur, hunc *mundum muliebrem* appellarunt maiores nostri. Quid aliud in luctu, quàm purpuram atque aurum deponunt ? quid quum eluxerunt, fumunt ? quid in gratulationibus supplicationibusque, nisi excellentiorem ornatum adjiciunt ? Scilicet si legem Oppiam abrogaveritis, non vestri arbitrii erit, siquid eius vetare volueritis, quod nunc lex vetat. minus filiæ, uxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. *Nunquam salvis suis exuitur servitus muliebris, & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestantur.* In vestro arbitrio suum ornatum, quàm in legis, malunt esse. & vos *in manu & tutela, non in servitio* debetis habere eas : *& malle patres vos aut viros, quam dominos dici.* Invidiosis nominibus utebatur modo consul ; seditionem muliebrem & secessionem appellando. Id enim periculum est, ne Sacrum montem (Sicut quondam irata plebs) aut Aventinum capiant. Pariendum huic infirmitati est, quodcunque vos censueritis ; *quo plus potestis, eo moderatius imperio uti debetis.*

ORATIO
M. PORCII Catonis consulis ad suos.
ARGVMENTVM.

Abrogata lege Oppia, Porcius Cato consul extemplo in Hispaniam cum copijs profectus est. Hic, ut hostium suorumque animos experiretur, milites, exercebat agendis prædis ex hostium agro. Quod ubi satis explorasset, convocari omnes jussit : quos in hunc modum ad legitimum certamen adhortari cœpit.

TEMPVS

TEMPUS quod ſæpe optaſtis, venit: quo vobis poteſtas fieret virtutem veſtram oſtendendi. Adhuc prædonum magis quàm bellantium militaſtis more: *nunc juſta pugna hoſtes cum hoſtibus conferetis manus.* Non agros inde populari, ſed urbium opes haurire licebit. Patres noſtri, quum in Hſpania Carthaginenſium & imperatores ibi & exercitus eſſent, ipſi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent; tamen addere hoc in fœdere voluerunt, ut imperii ſui Iberus fluvius eſſet finis. Nunc, quum duo prætores, quum conſul, quum tres exercitus Romani Hiſpaniam obtineant, Carthaginienſium jam prope decem annis nemo in his provinciis ſit; imperium nobis citra Iberum amiſſum eſt. Hoc armis & virtute recuperetis oportet: & nationem rebellantem, magis temere, quam conſtanter bellantem, jugum quo ſe exuit, accipere rurſus cogatis.

ORATIO
T. QUINTII in conventu Græciæ.

ARGVMENTVM.

Jam in pace & libertate univerſa Græcia præter Ætolos erat, quum T. Quintio ſenatuſconſultum de ſuſcipiendo bello adverſus Nabin Lacedæmonium, qui Argos occupabat, affertur. Eo itaque lecto, Corinthum in conſtitutam diem conventum omnium ſociarum civitatum Græciæ edicit. Ad diem quum frequentes conveniſſent, ita de bello adverſus Nabin gerendo retulit.

BELLUM adverſus Philippum non magis communi animo conſilioque Romani & Græci geſſerunt, quam utrique ſuas cauſas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitiam nunc Carthaginienſes hoſtes eorum juvando, nunc hic ſociis noſtris oppugnandis violaverat; & in vos talis fuit, ut nobis, etiamſi noſtrarum obliviſceremur iniuriarum, veſtræ injuriæ ſatis digna cauſa belli

belli fuerint. Hodierna conſultatio tota ex vobis pendet. Refero enim ad vos, utrum Argos, ſicut ſcitis ipſi, ab Nabide occupatos pati velitis ſub ditione ejus eſſe: an æquum cenſeatis nobiliſſimam vetuſtiſſimamque civitatem, in media Græcia ſitam, repeti in libertatem, & eodem ſtatu, quo cæteras urbes Peloponnenſi & Græciæ eſſe. Hæc conſultatio, ut videtis, tota de re pertinente ad vos eſt. Romanos nihil contingit, niſi quatenus liberatæ Græciæ unius civitatis ſervitus non plenam nec integram gloriam eſſe ſinit. Cæterum ſi vos nec cura ejus civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne ſerpat latius contagio eius mali; nos æqui bonique facimus. De hac re vos conſulo, *ſtaturus eo quod plures* cenſueritis.

ORATIO.

ARISTHENI PRÆTORIS Achæorum de Ætolis & Nabide.

ARGUMENTUM.

Hoc ad proximum pertinet: Ætoli ad concilium Græciæ convenerant, quorum princeps Alexander quum audiret placere Athenienſibus ut Argi recuperarentur, ipſe inter alia dixerat, quod ad eam deliberationem attinebat, deportandum eſſe in Italiam exercitum. Nam ipſum Nabin pelliceri aut conditione, aut ſua ipſius voluntate præſidium Argis deductarum. Quod niſi faceret, Ætolos vi armiſque facile coacturos deduci. Hæc prætor audiebat Achæorum Ariſthenus, qui ea vaniloquentia motus, extemplo in hæc verba prorupit.

NE iſtud Jupiter optimus maximus ſiverit, Junoque regina, cuius in tutela Argi ſunt, ut illa civitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Ætolos præmium ſit poſita in eo diſcrimine, ut miſerius à nobis recipiatur, quã ab illo capta eſt. Mare interiectũ ab iſtis prædonibus non tuetur nos, T. Quinti. Quid, ſi in media Peloponneſo arcem

cem ſibi fecerint, futurum nobis eſt? Linguam tantum Græcorum habent, ſicut ſpeciem hominum. Moribus ritibuſque efferationibus quàm ulli barbari, quam rapaciſſimæ belluæ utuntur. Itaque vos rogamus, Romani, ut & ab Nabide Argos recuperetis; & ita res Græciæ conſtituatis, ut ab latrocinio quoque Ætolorum ſatis pacata hæc relinquatis.

ORATIO.

NABIDIS TYRANNI Lacedæmoniorum ad T. Quintium.

ARGUMENTUM.

Nabis tyrannus Lacedæmonius quum maritimas omnes civitates à Romanis receptas primo ſtatim adventu cognovit cedendum fortunæ ratus, T. Quintium ad colloquium vocari jubet. Ad præſtitutum diem prior ipſe de tyrannide, aliiſque quæ de ipſo jactabantur, in hunc modum diſſeruit.

SI ipſe per me T. Quinti, voſque qui adeſtis, cauſam excogitare, cur mihi aut indixiſſetis bellum, aut inferretis, poſſem; tacitus eventum fortunæ meæ expectaſſem. nunc *imperare animo nequivi, quin* priuſquam petirem, cur perituru eſſem ſcirem. Et, hercules, ſi tales eſſetis, quales eſſe *Carthaginienſes* fama eſt, *apud quos nihil ſocietatis fides ſancti haberet*; in me quoque vobis quid faceretis, minus penſi eſſe, non mirarer. Nunc vos quum intueor, Romanos eſſe video, qui rerum divinarum fœdera, humanarum fidem ſocialem ſanctiſſimam habeatis. Quum me ipſe reſpexi, eum eſſe ſpero, cui & publice, ſicut exteris Lacedæmoniis, vobiſcum veruſtiſſimum fœdus ſit, & meo nomine privatim amicitia ac ſocietas nuper Philippi bello renovata. At enim ego eam violavi & everti, quod Argivorum civitatem teneo. Quomodo hoc tuear? Re, an tempore? Res mihi duplicem defenſionem præbet. nam & ipſis vocantibus ac tradentibus urbem eam accepi, non occupavi:

pavi: & accepi, quum Philippi partium, non in vestra societate esset. Tempus autem eo me liberat, quod quum jam Argos haberem, societas mihi vobiscum convenit, & ut vobis mitterem ad bellum auxilia, non ut Argis præsidium deducerem, pepigistis. At, hercle, in ea controversia, quæ de Argis est, superior sum; & æquitate rei, quod non vestram urbem, sed hostium: quod volentem, non vi coactam accepi: & vestra confessione, quod in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Cæterum nomen tyranni & facta me premunt, quod servos ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc respondere possum: me qualiscunque sum, eundem esse, qui fui, quum tu ipse mecum, T. Quinti, societatem pepigisti. Tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum vocari video. Itaque si ego nomen imperii mutassem, mihi meæ inconstantiæ; quum vos mutetis, vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem servis liberatis auctam, & egentibus divisum agrum attinet; possum quidem & in hoc me jure temporis tutari. Jam feceram hæc, qualiacunque sunt, quum societatem mecum pepigistis, & auxilia in bello adversum Philippum accepistis. Sed si nunc ea fecissem, non dico quid in eo vos læsissem, aut vestram amicitiam violassem: sed illud, memore atque instituto majorum feciſſe. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. Nihil comparare singula necesse est. vos à censu equitem, à censu peditem legitis: & paucos excellere opibus, plebem subjectam esse illis vultis. Noster legumlator non in paucorum manu Rempub. esse voluit, quem vos *senatum* appellatis: nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate, sed *per æquationem fortunæ ac dignitatis* fore credidit, ut multi essent, qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregisse, quam pro *patriæ* sermone *brevitatis*, fateor. &

brie-

breviter peroratum esse potuit, Nihil me, postea quam vobiscum amicitiam instituí, cur ejus vos pœniteret, commisisse.

ORATIO

T. QVINTII qua Nabidi respondet.

AMICITIA & societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum justo ac legitimo facta est. Cujus justyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt; sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti. Nam quid minus conveniret, quam nos qui pro libertate Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam? & eo tyranno, quam qui unquam fuit, sævissimo & violentissimo in suos? Nobis vero, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem nec teneres; liberantibus omnem Græciam, Lacedæmon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat, atque in leges suas: quarum modo, tanquam æmulus Lycurgi, mentionem fecisti. An ut ab Jasso & Bargillis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis, Argos & Lacedæmonem, duas clarissimas urbes, lumina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinquemus: quæ titulum nobis liberatæ Græciæ servientes deformem? At enim cum Philippo Argivi senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem iraſcaris. Satis compertum habemus, duorum, aut ad summum trium in ea re, non civitatis culpam esse: tam hercle, quàm in te quoque præsidio accersendo accipiendoque in arcem, nihil sit publico consilio actum; Thessalos & Phocenses & Locrenses, consensu omnium scimus partium Philippi fuisse; tamen quum cæteram liberaverimus Græciam, quid tandem censes in Argivis, qui insontes publici consilii sint, fasturos? Servorum ad libertatem voca-

vocatorum, & egentibus hominibus agri diviſi crimina tibi objici dicebas. non quidem nec ipſa mediocria: ſed quid iſta ſunt præ iis quæ à te tuiſque quotidie alia ſuper alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedæmone, ſi audire juvat vera dominationis impotentiſſimæ crimina. Ut omnia alia vetuſtiora omittam, quam cædem Argis Pythagoras iſte gener tuus penè in oculis meis edidit? quam tu ipſe, quum jam propè in finibus Lacedæmoniorum eſſem? Agedum, quos in concione comprehenſos, omnibus audientibus civibus tuis, in cuſtodia te habiturum eſſe pronunciaſti; jube vinctos produci, ut miſeri parentes, quos falſo lugent, vivere ſciant. At enim ut iam ita ſint hæc, quid ad vos Romani? Hoc tu dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui ut liberare poſſent, mare trajecerunt, terra marique geſſerunt bellum? Vos tamen, inquit, veſtramque amicitiam ac ſocietatem proprie non violavi. Quoties vis te id arguam feciſſe? Sed nolo pluribus: ſummam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia violatur? Nempe his duabus rebus maxime, ſi ſocios meos pro hoſtibus habeas: ſi cum hoſtibus te coniungas. Utrum non à te factum eſt? nam & Meſſenem uno atque eodem iure fœderis, quo & Lacedæmonem, in amicitiam noſtram acceptam, ſocius ipſe ſociam nobis urbem vi atque armis cepiſti: & cum Philippo hoſte noſtro, non ſocietatem ſolum, ſed (ſi Diis placet) affinitatem etiam per Philoclem præfectum eius pepigiſti: & bellum adverſum nos gerens, mare circa Maleam infeſtum navibus piraticis feciſti; & plures propè cives Romanos, quàm Philippus, cepiſti atque occidiſti: tutiorque Macedoniæ ora, quam promontorium Maleæ, commeatus ad exercitus noſtros portantibus navibus fuit. Proinde parce ſic fidem ac iura ſocietatis iactare: & omiſſa populari oratione, tanquam tyrannus & hoſtis loquere.

ORA-

ORATIO

T. QVINTII, QVA SVOS AD obſidionem Lacedæmonis adhortatur.

ARGVMENTVM.

Hoc cum prioribus duabus concionibus conjunctum eſt. Quum ita colloquuti eſſent. Nabis, Ariſtheno, ut, dum liceret ſuis rebus conſuleret, orante, poſtero die ſe deductum Argis (quando ita Romanis placeret) præſidium ſpoſponderat, ſimul & perfugas & captivos redditurum, ac ſi quid aliud vellent, factum. Interim ad bellum tantum, Quintius animum intendebat: ac nihil dum eorum, quæ receperat Nabis, apparebat, quum ſentientibus omnibus continuandum eſſe bellum, ipſe unus per ſimulationem difficultatem obſidionis Lacedæmonis, quo ſe Nabis ex colloquio receperat, cauſando, etiam tum à bello militum animos avertere conabatur. Vbi ſimulatione illa indies militum animos (quod unum agebat) magis accendi ac creſcere vidit, repente in hæc verba ad obſidionem adhortatus eſt.

BENE vertat! obſideamus Lacedæmonem, quando ita placet. Cæterum quum res tam lenta, quàm ipſi ſcitis oppugnatio urbium ſit, & obſidentibus prius ſæpe quàm obſeſſis tædium afferat; jam nunc hoc ita proponere vos animis oportet, hybernandum circa Lacedæmonis mœnia eſſe. Quæ mora ſi laborem tantum ac periculum haberet, ut & animis & corporibus ad ſuſtinenda ea parati eſſetis, hortarer vos. Nunc impenſa quoque magna eget, in opera, in machinationes, & tormenta, quibus tanta urbs oppugnanda eſt, in commeatus nobis vobiſque in hyemem expediendos. Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter diſtituatis, ſcribendum ante veſtris civitatibus cenſeo, explorandumque, quid quæque animi, quid virium habeat. Auxiliorum ſatis ſuperque habeo: ſed *quo plures ſumus, pluribus re-*

bus

bus egebimus. Nihil jam præter nudum ſolum ager hoſtium habet. Ad hoc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.

Ex triceſimo quarto libro ab Urbe condita.

ORATIO MINIONIS ad Legatos Romanorum.

ARGVMENTVM.

Legati Romam P. Sulpitius & P. Iulius miſſi ad Eumenem primùm, deinde ad Antiochum. Ii expoſitis ſenatus mandatis Eumeni, Epheſum ad Antiochum veniunt. Fortè per eos dies filii Antiochi morte primùm nuntiata, factum erat ut clauſa regia, omnes in luctu eſſent. Legatus alter (nam Sulpitius æger Pergami ſubſtiterat) eo publico luctu, non fore ratus ut lætis animis audiretur. Pergamum avertit iter. Paucis diebus luctu finito, Antiochus jam ſatis doctus quid ad ſe venirent legati, cum uno Minione principe amicorum conſilia communicabat. Fugiebat atque detrectabat modis omnibus cum legatis colloquium: ac futurum erat ut nec admitteret legatos, ſi redirent ultro, nec accerſeret diutius commoratos, niſi Minio ipſe cauſam totam ſuſceptam eius commodo cum legatis ſe acturum recepiſſet. Accitis itaque legatis, Minio ipſo abſente Antiocho ita loquutus eſt. Legati deinde reſponderunt.

SPecioſo titulo uti vos, Romani, Græcarum civitatum liberandarum video: ſed facta veſtra orationi non conveniunt. & aliud Antiocho juris ſtatuiſtis, alio ipſi utimini. Qui enim magis Smyrnæi, Lampſacenique Græci ſunt, quam Neapolitani & Rhegini & Tarentini, à quibus ſtipendium, à quibus naves ex fœdere exigitis? Cur Syracuſas atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & ſecuribus mittitis? Nihil aliud profecto dicatis, quàm armis ſuperatis vos iis has leges impoſuiſſe. Eandem

de

de Smyrna & Lampſaco, civitatibuſque quæ Joniæ aut Æolidis ſunt, cauſam ab Antiocho accipite. Bello ſuperatas a maioribus, & ſtipendiarias ac vectigales factas, in antiquum jus repetit. Itaque ad hæc ei reſponderi velim, ſi ex æquo diſceptatur, & non belli cauſa quæritur.

ORATIO SVLPITII LEGATI ROMANORVM, qua ad præcedentem reſpondet.

FECIT verecundè Antiochus, qui ſi alia pro cauſa eius non erant quæ dicerentur, quemlibet iſta quàm ſe dicere maluit. Quid enim ſimile habet civitatum earum quas comparaſti cauſa? Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem, uno & perpetuo tenore iuris ſemper uſurpato, nunquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent, exigimus. Poteſne tandem dicere, ut ii populi non per ſe, non per alium quemquam fœdus mutaverint; ſic & Aſiæ civitates, ut ſemel venerunt in maiorum Antiochi poteſtatem, in perpetua poſſeſſione regni veſtri permanſiſſe? & non alias earum in Philippi, alias in Ptolomæi fuiſſe poteſtate? alias per multos annos nullo ambigente libertatem uſurpare? Nam ſi, quod aliquando ſervierunt temporum iniquitate preſſi, jus poſt tot ſecula aſſerendi eos in ſervitutem faciet; *quid abeſt quin* actum nobis nihil ſit, quod à Philippo liberavimus Græciam? & repetant poſteri ejus Corinthum, Chalcidem, Demetriadem, & Theſſalorum totam gentem? Sed quid ego cauſam civitatum ago, quam ipſis agentibus & nos, & regem ipſum cognoſcere æquius eſt?

ORATIO ANNIBALIS ad Antiochum qua ſe purgat.

ARGVMENTVM.

Pertinet hoc ad conciones ſuperiores duas. His invicem jactis, legati earum ipſarum civitatum de quibus

bus Sulpitius meminerat, quum introducti nunc suas quisque querelas, nunc expostulationes inter serrent, re infecta dimissi sunt. Exinde consilium inibat Antiochus belli adversus Romanos suscipiendi. In id consilium forte Annibal adhibitus non erat, propter colloquia cum Iulio legato altero Romanorum, suspectus. Percontatus itaque alienationis & iracundiæ regis in se causam, quum ex colloquis id natum acciperet occasionem modo se regi purgandi quærebat. Ac eam tandem nactus, ita se regi purgavit.

PATER Amilcar, Antioche, *parvum admodum me*, quum sacrificaret, *altaribus admotum iurejurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani.* Sub hoc sacramento sex & triginta annos militavi: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spem meam destituueris, ubicunque veres, ubi arma esse sciam, inveniam toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi quam ex me quærant. Odi odioque sum Romanis. Id me verum dicere pater Amilcar & Dii testes sunt. Proinde quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto. si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quærito.

Ex trigesimo sexto libro ab urbe condita.

ORATIO ANNIBALIS in concilio Antiochi, de totius belli ratione & Macedonibus sententia.

ARGUMENTUM.

Antiochus Annibalem in consilium adhibere non solebat, etiam si oratione ea qua se Annibal purgavit, regem sibi reconciliasset. Forte in id adhibitus quo de Thessalis consultabatur, quum aliud alii sentirent,

rent, nominatim rogatus ſententiam, ita conſilium ſuum de Macedonibus & Philippo in amicitiam deducendis, totiuſque belli ratione, expoſuit.

SI ex quo trajecimus in Græciam, adhibitus eſſem in conſilium, quum de Eubœa, de Achæis, de Bœotia agebatur; eam ſententiam dixiſſem, quam hodie quum de Theſſalis agitur, dicam. Ante omnia Philippum & Macedonas in ſocietatem belli quacunque ratione cenſeo deducendos eſſe. nam quod ad Eubœam Bœotoſque & Theſſalos attinet, *cui dubium eſt quin.* ut quibus nullæ ſuæ vires ſint, præſentibus adulando ſemper, quem metum in conſilio habeant, eodem ad impetrandam veniam utantur? ſimul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad conſuetum imperium ſe avertant? nec iis noxæ futurum ſit, quod quum Romani procul abeſſent, vim tuam præſentis exercituſque tui experiri noluerint? Quanto igitur prius potiuſque eſt, Philippum nobis conjungere, quam hos? cui, ſi ſemel in cauſam deſcenderit, nihil integri futurum ſit, quique eas vires afferat, quæ non acceſſio tantum ad Romanum eſſe bellum, ſed per ſe ipſæ nuper ſuſtinere potuerint Romanos? Hoc ego adjuncto (abſit verbo invidia) qui dubitare de eventu poſſim, quum, quibus adverſus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam ut ipſi oppugnentur. Ætoli, qui Philippum (quod inter omnes conſtat) vicerunt, cum Philippo adverſus Romanos pugnabunt. Amynander Atque Athamanum gens; quorum ſecundum Ætolos plurima fuit opera in eo bello, nobiſcum ſtabunt: Philippus tum, te quieto, totam molem ſuſtinebat belli: nunc duo maximi reges, Aſiæ Europæque viribus adverſus unum populum (ut meam utramque fortunam taceam) patrum certe ætate ne uni quidem Epirotarum regi parem, quicquid tandem erit vobiſcum comparatus, geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet conjungi

jungi nobis Philippum posse? Una, *communis utilitas, quæ societatis maximum vinculum est*: altera, auctores vos Ætoli. Vester enim legatus hic Thoas inter cætera, quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere est solitus, ante omnia hoc semper affirmavit; fremere Philippum, *& ægrè pati, sub specie pacis leges servitutis sibi impositas. Ille* quidem, *ut feræ bestiæ vinclæ aut clausæ, & refringere claustra cupientes*, regis iram verbis æquabat. cujus si talis animus est, solvamus nos eius vincula, & claustra refringamus, ut erumpere diu coërcita ira in hostes communes possit. Quod si nihil eum legatio nostra moverit: at nos, quoniam nobis eum adjungere non possumus, ne hostibus nostris ille adjungi possit, caveamus. Seleucus filius tuus Lysimachiæ est: qui si eo exercitu, quem secum habet, per Thraciam proxima Macedoniæ cœperit depopulari, facilè ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad sua potissimum tuenda avertet. De Philippo meam sententiam habes. De ratione universi belli quid sentirem, jam ab initio non ignorasti. quod si tum auditus forem, non in Eubœa Chalcidem captam, & castellum Euripi expugnatum Romani, sed Etruriam Ligurumque & Galliæ Cisalpinæ oram *bello ardere*, & (*qui maximus ils terror est*) *Annibalem in Italia esse audirent*. Nunc quoque accersas censeo omnes navales terrestresque copias, Sequantur classem onerariæ cum commeatibus. nam hìc sicut ad belli munera pauci sumus, sic nimis multi pro inopia commeatuum. Quum omnes tuas contraxeris vires; divisam classem partim Corcyræ in statione habebis, ne transitus Romanis liber ac tutus pateat: partim ad littus Italiæ, quod Sardiniam Africamque spectat, trajicies: ipse cum omnibus terrestribus copiis in Byllinum agrum procedes. Inde Græciæ præsidebis, & speciem Romanis traiecturum te præbens, & si res poposcerit, traiecturus. Hæc suadeo,

qui

qui, ut non omnis peritissimus sim belli, cum Romanis certè bellare bonis malisque meis didici. *In quæ consilium dedi, in eadem nec infidelem, nec segnem operam polliceor.* Dii approbent eam sententiam, quæ tibi optima visa fuerit.

ORATIO ATTILII consulis ad suos.

ARGUMENTUM.

Attilius consul de populatus Hypatensem Heracleensemque agrum, in faucibus ad Thermopylas, ubi rex Antiochus erat, castra locaverat. Quod ubi regi allatum est, veritus ipse ne quam viam per juga imminentia Romani ad transitum invenirent, Ætolis Heracleam mandat, occuparent ea ipsa cacumina, ne qua Romanus transire posset. Ita ut jusserat rex, Ætoli ad occupandum contendunt. Consul ea re cognita, eodem adversus Ætolos missis legionibus, ipse priusquam in hostem copias educeret, ita militum animos confirmavit.

PLEROSQVE omnium ordinum milites inter vos esse video, qui in hac eadem provincia T. Quintii ductu auspicioque militaveritis. Macedonico bello inexsuperabilis magis saltus ad amnem Aoum fuit, quàm hic: quippe portæ sunt hæ, & unus inter duo maria clausis omnibus velut naturalis transitus est; Munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt & validiores impositæ: exercitus hostium ille & numero major, & militum genere aliquanto melior. Quippe illic Macedones Thracesque & Illyrii erant, ferocissimæ omnes gentes: hic Syri & Asiatici Græci sunt, *levissima genera hominum, & servituti nata.* Rex ille bellicosissimus, exercitatus jam inde à juventa finitimis Thracum atque Illyriorum & circa omnium accolarum bellis: hic (ut aliam omnem vitam sileam) is est, qui quum ad inferendum populo Romano bellum ex Asia in Europam transisset, nihil

nihil memorabilius toto tempore hybernorum geſſerit, quam quod amoris cauſa, ex domo privata & obſcuri etiam inter populares generis uxorem duxit, & novus maritus, velut ſaginatus nuptialibus cœnis, ad pugnam proceſſit. Summa virium ſpeique eius in Ætolis fuit, gente vaniſſima & ingratiſſima; ut vos prius experti eſtis, nunc Antiochus experitur. Nam nec convenerunt frequentes, nec contineri in caſtris potuerunt, & in ſeditione ipſi inter ſe ſunt: & quum Hypatam tuendam Heracleamque depopoſciſſent, neutram tutati, pars refugerunt in juga montium, pars Heracleæ incluſerunt ſeſe. Rex ipſe confeſſus nuſquam æquo campo non modo congredi ſe ad pugnam audere, ſed ne caſtra quidem in aperto ponere; relicta omni ante ſe regione ea, quam ſe nobis ac Philippo ademiſſe gloriabatur, condidit ſe intra rupes: ne ante fauces quidem ſaltus (ut quondam Lacedæmonios fama eſt) ſed intra penitus retractis caſtris. Quod quantum intereſt, ad timorem oſtendendum, an muris alicuius urbis obſidendum ſeſe incluſerit? Sed neque Antiochum tuebuntur anguſtiæ; nec Ætolos vertices illi, quos ceperunt. ſatis undique proviſum atque præcautum eſt, ne quid adverſus vos in pugna præter hoſtes eſſet. Illud proponere animo veſtro debetis, non vos pro Græciæ libertate tantum dimicare, (quanquam is quoque egregius titulus eſſet, liberatam à Philippo antè, nunc ab Ætolis & ab Antiocho liberare) neque ea tantum in præmium veſtrum ceſſura, quæ nunc in regiis caſtris ſunt; ſed illum quoque omnem apparatum, qui indies ab Epheſo exſpectatur, prædæ futurum: Aſiam deinde Syriamque, & omnia uſque ad ortus ſolis ditiſſima regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit? & omne humanum genus ſecundum Deos nomen Romanum veneretur? In hæc

tanta præmia dignos parate animos, ut craſtino die bene juvantibus Diis acie decernamus.

ORATIO
T. QUINTII ad Achæos de Zacyntho.

ARGVMENTVM.

Zacynthus inſula erat, quam Hiero Agrigentinus, Animandri, cujus in poſſeſſione erat, præfectus, poſteaquam dominum à Philippo Megalopolitano Athamania pulſum audivit pecunia pactam Achæis tradiderat. T. Quintius hac re cognita concilium Achæorum edicit, ubi de Zacyntho ageretur. Ad diem præſt tutum Romani inſulam ut ſuam repetebant. Dia phanes contra, prætor Achæorum, ſuas ditiones eſſe jureque à ſe poſſideri contendebat. Achæi multi eam jam ab initio ſe aſpernatos eſſe teſtabantur: quo magis prætoris pertinaciam admirari non deſiſtebant. In tanta opinionum varietate res tota T. Quintii permiſſa eſt arbitrio, qui quod velit, nunc exponit.

SI utilem poſſeſſionem eius inſulæ cenſerem Achæis eſſe, autor eſſem ſenatui populoque Romano, ut eam vos habere ſinerent. Cæterum *ſicut teſtudinem, ubi collecta in ſuum tegumen eſt*, tutam ad omnes ictus video eſſe; ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habere: haud diſſimiliter vos (Achæi) clauſos undique mari, quæ intra Peloponnenſi ſint terminos, ea & jungere vobis, & juncta tueri facilè. ſimul aviditate plura amplectendi hinc excedatis; nuda vobis omnia, quæ extra ſint, & expoſita ad omnes ictus eſſe.

ORATIO
QVINTII AD M. ACILIVM conſulem pro Ætolis.

ARGVMENTUM.

M. Acilius, quum delatis pacis conditionibus, Ætolos Naupactum ad ſuſtinendam totam belli molem con-

confugisse comperisset, tum demum vi atque armis agendum esse cum iis ratus, urbem ipsam obsidere cœpit. In castra eo ipso tempore T. Quintius ex concilio Achaico redierat: qui quum ex composito muros obambularet, ut ab Ætolis ipsis nosceretur, omnes extemplo nomine eum inclamabant, orabantque ut se servare vellet. Movit ea vox Quintium: qui in castra descendens, ita M. Acilium monuit, ut soluta obsidione alio transferret bellum.

UTRUM falli te, M. Acili, quid agatur? an quum satis provideas, nihil id magnopere ad summam Reipub. pertinere censes? *Erexerat ex spectatione consulem.* Et, quin expromis, *inquit Acilius*, quid rei sit? *Tum Quintius:* Ecquid vides te devicto Antiocho in duabus urbibus oppugnandis tempus terere, quum iam prope annus circumactus sit imperii tui. Philippum autem, qui non aciem, non signa hostium vidit, non solum urbes, sed tot jam gentes, Athamaniam, Perræbiam, Aperantiam, Dolapiam sibi adiunxisse? Atqui non tantum interest nostra, Ætolorum opes ac vires minui, quantum, non supra modum Philippum crescere? & victoriæ tuæ præmium te militesque tuos nondum tot urbes, quot Philippum gentes Græciæ habere.

ORATIO
T. QVINTII ad Ætolorum principes de reconciliatione.

ARGVMENTVM.

Cognitio hujus à superiore petenda oratione. M. Acilius consul verbis T. Quintii motus, totam ipsi rem permiserat. Itaque rursus obambulare circa eandem partem maris, circa quam paulo ante vociferati erant Ætoli, pergit. Vbi quum eum rursus Ætoli animadverterent, impensius orabant ut sui misereretur. Tum egredi aliquot ad se jubet, quibus ad pedes provolutis, quid ipse vellet, ita exposuit.

FORTVNA vestra *facit, ut & iræ meæ & orationi temperem.* Evenerunt quæ prædixi eventura. & ne hoc quidem reliqui vobis est, ut indignis accidisse ea videantur. Ego tamen sorte quadam nutriendæ Græciæ datus, ne ingratis quidem benefacere absistam. Mittite oratores ad Cos. qui inducias tantum temporis petant, ut mittere legatos Romam possitis, per quos senatui de vobis permittatis. Ego apud Cos. deprecator defensorque vobis adero.

Ex trigesimo septimo libro ab Urbe condita.

ORATIO EVMENIS IN CONCILIO.

ARGVMENTVM.

L. Æmilio prætori inter provincias decernendas classis Romana decreta erat. Eum quum Samo Eleam, ut regi Eumeni opem ferret, cum classe Romana venisse Antiochus audiret, Publiumque Scipionem consulem jam in Macedonia cum exercitu esse: de pace agendi tempus venisse ratus, caduceatorem ad Æmilium misit, qui de pace se agere velle nuntiaret. Tum concilium hac de re Æmilius edicit: in quo quum de re ipsa referret, Rhodii quidem rogati sententiam, censebant pacem esse faciendam: cæterum Eumenes contra sentiebat; quam sententiam ita peregit.

QUI enim aut honestè inclusi mœnibus, & obsessi, velut leges pacis accipiemus? aut cui rata ista pax erit, quam sine consule, non ex autoritate senatus, non jussu populi Romani peregerimus? Quæro enim, pace per te facta, redituruſne extemplo in Italiam sis, classem exercitumque deducturus? an expectaturus, quid de ea re consuli placeat, quid senatus censeat, quid populus jubeat? Restat ergo, ut maneas in Asia, & rursus in Hyberna copiæ reductæ, omisso ubi bello exhauriant commeatibus præbendis socios: deinde (si ita visum sit iis

iis penes quos potestas fuerit) instauremus novum de integro bellum. quod possumus, si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittimur, ante hyemem Diis volentibus perfeciſſe.

ORATIO

SCIPIONIS, qua legatis Antiochi respondet.

ARGVMENTVM.

Heraclides Byzantius ab Antiocho missus de pace legatus, P. Scipioni inter cæteras conditiones eam quoque detulerat, Antiochum paratum esse restituere Romanis quascunque in Asia teneret urbes, dimidiamque partem impensarum in bellum factarum præstare. Eas Romanis non placere videns, privatim Scipionem alloquitur, sicuti mandatem ipsi erat, fore, si conditiones acciperet, ut Antiochus ipsi filium etiam sine pretio redderet: magnum deinde auri pondus pollicitus in societatem regni eum venturum professus est, si pacem feciſset. Nunc Scipio respondet.

QUOD Romanos omnes, quod me, ad quem missus es, ignoras, minus miror; quum te fortunam eius à quo venis, ignorare cernam. Lysimachia tenenda erat, ne Chersonesum intraremus: aut ad Hellespontum obsistendum, ne in Asiam trajiceremus, si pacem tanquam à solicitis de belli eventu petituri eratis. Concesso vero in Asiam transitu, & non solum fœnis, sed etiam jugo accepto, quæ disceptatio ex æquo, quum imperiū partiendum sit, relicta est? Ego ex munificentia regia maximum donum filium habebo: aliàs Deos precor, ne unquam fortuna egeat mea, animus certè non egebit. Pro tanto in me munere gratum me esse in se sentiet, si privatam gratiam pro privato beneficio desiderabit. sed publicè nec habebo quicquam ab illo, nec dabo. Quod in præsentia dare possim, fidele consilium est. Abi, nuntia meis verbis, bello absistat: pacis conditionem nullam recuset.

ORATIO ZEUXIS LEGATI ANTIOCHI ad Romanos de pace.

ARGVMENTVM.

Antiochus eo prælio quod adverſus Romanos ad Phygium flumen commiſit, fuga ſibi ſalutem quærere coactus erat. Ex ea fuga nocte Sardis primum, deinde Apameam ſe recepit: ubi, de pace agendum eſſe, ut in tam adverſis rebus, animum inducens, legatos ad conſulem de ea re mittit. Dato conſilio Zeuxis legatorum princeps ita cauſam egit.

NON tam quid ipſi dicamus, habemus, quàm ut à vobis quæramus Romani quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare à victoribus poſſimus. Maximo ſemper animo victis regibus populiſque ignoviſtis. quanto id maiore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria, quæ vos dominos orbis terrarum fecit; Poſitis jam adverſus omnes mortales certaminibus, haud ſecus quàm Deos conſulere & parcere vos generi humano oportet.

ORATIO SCIPIONIS ad ea reſpondentis.

ROMANI ex iis quæ in Deûm immortalium poteſtate erant, *ea habemus, quæ Dii dederunt: animos qui noſtræ mentis ſunt, eoſdem in omni fortuna geſſimus, gerimuſque: neque eos ſecundæ res extulerunt, nec adverſæ minuerunt.* Eius rei ut alios omittam, Annibalem veſtrum vobis darem teſtem, niſi vos ipſos dare poſſem. Poſteaquam Helleſpontum trajecimus, priuſquam caſtra regia, priuſquam aciem videremus, quum communis Mars & incertus belli eventus eſſet, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, eaſdem nunc victores victis ferimus; *Europa abſtinete, Aſiaque omni*, quæ eis Taurum montem eſt, decedite.

dite. Pro impensis deinde in bellum factis xv. millia talentum Euboïcorum dabitis; quingenta præsentia, duo millia & quingenta, quum senatus populusque Romanus pacem comprobraverint millia deinde talentum per xii. annos. Eumeni quoque reddi 400 talenta, & quod frumenti reliquum ex eo quod patri debitum est, placet. Hæc quum pepigerimus, facturos vos ut pro certo habeamus, erit quidē aliquod pignus, si obsides viginti nostro arbitratu dabitis: sed *nusquam* satis *liquebit* nobis, *ibi pacem esse populo Romano, ubi Annibal erit*; eum ante omnia deposcimus. Thoantem quoque Ætolum, concitatorem Ætolici belli, qui & illorum fiducia vos, & vestra illos in nos armavit, dedetis, & cum eo, Mnasimachum Acarnana, & Chalcidenses, Philonem & Eubulidam. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit quàm facere potuit, Si nunc moratus fuerit, sciat, regum maiestatem difficilius ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari.

Ex trigesimo octavo libro ab urbe condita.

ORATIO

P. SCIPIONIS Africani rei, ad Quirites.

ARGVMENTVM

Suprà ostensum est, quum Antiochus pacem cum Scipione Africano atque Romanis paciscì vellet, ab ipso datum legato negotium, ut si publicè impetrare non posset, privatim cum Scipione ageret; ita regi placere ut filius sine pretio reddatur, ingensque auri pondus detur, si per ipsum pacem impetraret. Inde ambo Q. Pleminii Scipionis criminandi occasionem se nactos esse rati, ei diem dicunt. Is vero quum postero die citatus reus magna multitudine amicorum septus in rostra subisset, in hæc verba populum Romanum admonebat, ut secum Diis actum gratias irent, quod decorum auspi-

cis tali die de Carthaginiensibus triumphasset: ne videlicet in ea civitate quam paulo ante ab hostium infestissimorum impetu atque armis vindicaverat causam diceret.

HOC die, tribuni plebis, vosque Quirites, cum Annibale & Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque quum hodie litibus & jurgiis supersedere æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum, Junonemque & Minervam, cæterosque Deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo: hisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die, & sæpè alias egregiè Reipub. gerendæ mentem facultatemque dederunt! Vestrum quoque, quibus commodū est, ite mecum Quirites; & orate Deos, ut mei similes principes habeatis. Ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis præcessi.

Ex trigesimo nono libro ab Urbe condita.

ORATIO
M. PORCII CATONIS CONSULIS, ad populum, in fœdum Bacchanalium ritum.

ARGUMENTUM.

Sacra Bacchi, quæ Bacchanalia dicuntur, ex Græcia in Etruriam prius, deinde velut contagione quadam ex Etruria Romam invecta erant. Qui sacris iis initiabantur, seu mares seu fœminæ, noctu cœtus conciliabulaque faciebant tota urbe: fœminæ faces ardentes præferebant, quas in aquam demissas, magia quadam, flamma integra efferebant: mares velut capta mente, cum jactatione fanatica vaticinabantur. Inde permixti viri fœminis nullum genus libidinis reliquum faciebant, postremo & virorum inter se & fœminarum passim concubitus fiebant. Hinc vixa, hinc conjurationes, hinc cædes, hinc

hinc nullum non mali genus ſerpebat. Sed nihil non revelat dies, quanquam diu celatum atque abſtruſum, tandem indicio cujuſdam Ebutiæ primum, deinde Hiſpalæ, quam Ebutia manumiſerat, ad Poſthumium conſulem res tota defertur. Is primo quoque tempore ad ſenatum quicquid acceperat defert: cui ob id ipſum habitæ à ſenatu gratiæ. Patres quæſtionem de Bacchanalibus, ſacriſque nocturnis, conſulibus decernunt. Tum verò & ne qui cœtus nocturni fierent decretum & datum negotium ut ſacerdotes qui ſacris iis præerant, conquirerentur. Iam ſuum cuique magiſtratui officium de iis ſacris tollendis injunctum erat, quum M. Porcius Cato conſul, in Roſtra concione advocata conſcendit. Vnde comprecatus primum deos, ſicut aſſolet quoties ad populum magiſtratus verba facturus eſt, in hæc verba de tollendis Bacchanalibus diſſeruit.

NULLI unquam concioni, Quirites, tam non ſolum apta, ſed etiam neceſſaria hæc ſolennis Deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret hos eſſe Deos, quos colere, venerari, precarique majores veſtri inſtituiſſent; non illos, qui pravis & externis religionibus captas mentes velut furialibus ſtimulis, ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam nec quatenus proloquar, invenio: ſi aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: ſi omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. Quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum ſcitote eſſe: ut ad cavendum ſatis ſit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota jampridem Italia, & nunc per urbem etiam multis locis eſſe, non fama modo accepiſſe vos, ſed crepitibus etiam ululatibuſq; nocturnis, qui perſonant tota urbe, certum habeo: cæterum quæ ea res ſit, ignorare: alios Deorum aliquem cultum, alios conceſſum ludum & laſciviam eſſe credere: & qualecunq; ſit, ad paucos

pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, ſi dixero multa millia hominum eſſe, illico neceſſe eſt exterreamini, niſi adjunxero qui qualeſque ſint. Primum igitur mulierum magna pars eſt, & is fons mali hujuſce fuit: deinde ſimillimi fœminis mares, ſtuprati & conſtupratores, fanatici vigiles, vino, ſtrepitibus, clamoribuſque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires conjuratio, cæterum incrementum ingens virium habet, quod indies plures fiunt. Maiores veſtri, ne vos quidam, niſi quum aut vexillo in arce poſito comitiorum causâ exercitus edictus eſſet, aut plebi conſilium tribuni edixiſſent, aut aliquis ex magiſtratibus ad concionem vocaſſet, forte temere coire voluerunt: & *ubicunque multitudo eſſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe.* Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiſcuos mulierum ac virorum eſſe creditis? Si, quibus ætatibus initientur mares, ſciatis, non miſereat vos eorum ſolùm ſed etiam pudeat. Hoc ſacramento initiatos iuvenes, milites faciendo cenſetis, Quirites? iis ex obſcœno ſacrario eductis arma committenda? hi cooperti ſtupris ſuis alieniſque, pro pudicitia conjugum ac liberorum veſtrorum ferro decernerent? Minus tamen eſſet, ſi flagitiis tantum effœminati forent, (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abſtinuiſſent. Nunquam tantum malum in Repub. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere peccatum eſt, ex illo uno ſacrario ſcitote ortum eſſe. Necdum omnia in quæ coniuraverunt edita facinora habent. adhuc privatis noxiis (quia nondum ad Rempublicam opprimendam ſatis virium eſt) coniuratio ſeſe impia tenet. *Creſcit & ſerpit quotidie malum, iam maius eſt, quàm ut capere ad privata fortuna poſſit*, ad ſummam Reipub. ſpectat niſi præcaveritis, Quirites. Jam huic diurnæ le-

legitimè ab consule vocatæ par nocturna concio esse poterit. Nunc illi vos singuli universos concionantes timent: jam ubi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi coierint, *consultabunt de sua salute simul ac vestra pernicie.* tum singulis vobis universi timendi erunt. Optare igitur unusquisque vestrùm debet, ut bona mens suis omnibus fuerit: si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facimus coniuravit, non suum judicet esse. Nequis etiam errore labatur vestrùm quoque, non sum securus. *Nihil enim in speciem fallacius est, quàm prava religio. Vbi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor ne fraudibus humanis vindicandis, divini juris aliquid immixtum violemus.* Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, senatusconsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulosque vatesque foro, circo, urbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? *Iudicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque dissolvendæ religionis esse, quàm ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.* Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos vestros, quum demolientes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus cerneretis. Omnia Diis propitiis, volentibusque ea faciemus: qui, quia suum numen sceleribus libidinibusque contaminari indigne ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri, ut impunita essent, sed ut vindicarentur & opprimerentur voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandavit: nos ipsi, quæ nobis agenda sunt, impigrè exsequemur; vigiliarum nocturnarum

cturnarum curam per urbem minoribus magiſtratibus mandavimus. Vos quoque æquum eſt, quæ veſtra munia ſunt, quo quiſque loco poſitus erit, quod imperabitur, impigrè præſtare, & dare operam ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur.

ORATIO PHILIPPI MACEDONIS, ad legatos Romanorum.

ARGVMENTVM.

Philippus Macedo multa oppida Theſſalorum. Perrhæbiorum, Maronitarum, aliorumque populorum, ſuæ ditionis fecerat: quæ quum repetita permiſſu ſe Romanorum occupare diceret, communi voluntate atque uno conſenſu eam rem ii populi ad ſenatum deferunt. Senatuſconſulto legati tres (in quibus Q. Cæcilius Metellus fuit) ad diſceptationem finiendam miſſi: quorum primo ſtatim adventu de ea ipſa re concilium indictum eſt: ad quod etiam Philippus convenit. Cognita cauſa legati decernunt ut præſidia Macedonum ex urbibus Theſſalorum & Perrhæbiorum deducerentur. Inde in Thraciam profecti; de urbibus ejus gentis cognoſcunt. Philippus indigne ferebat, omnia non ex animi ſui ſententia & jure fieri. Itaque injurias ſuas in hanc ſententiam legatis expoſuit.

NON cum Maronitis mihi aut cum Eumene diſceptatio eſt, ſed etiam vobiſcum Romani, a Quibus nihil æqui me impetrare, jamdiu animadverto. Civitater Macedonum quæ à me inter inducias defecerant, reddi mihi æquum cenſebam; non quia magna acceſſio ea regni futura eſſet (ſunt enim & parva oppida, & in finibus extremis poſita) ſed quia *multum ad* reliquos Macedonas continendos *exemplum pertinebat.* negatum eſt mihi. Bello Ætolico Lamiam oppugnare juſſus à conſule M. Acilio, quum diu fatigatus ibi præliis operibuſque

que essem, transcendentem me iam muros, à capta prope urbe revocavit consul, & abducere inde copias coëgit. Ad hujus solatium iniuriæ permissum est, ut Thessaliæ Perrhæbiæque & Athamanum, reciperem quædam castella magis quàm urbes. ea quoque ipsa vos mihi Q. Cæcili, paucos ante dies ademistis. Pro non dubio paulo antè (si Diis placet) legati Eumenis sumebant, quæ Antiochi fuerunt, Eumenem æquius esse quam me habere. id ego aliter longe judico esse. Eumenes enim non nisi vicissent Romani, sed nisi bellum gessissent, manere in regno suo non potuit. Itaque ille vestrum meritum habet, non vos illius; mei autem regni tantum aberat ut nulla pars in discrimine fuerit ut tria millia talentum, & quinquaginta tectas naves, omnes Græciæ civitates, quas ante tenuissem, pollicentem ultro Antiochum in mercedem societatis, sim aspernatus. hostemque ei me esse prius etiam quam M. Acilius exercitum in Græciam trajiceret, *præ me tuli*: & cum eo consule belli partem quamcunque mihi delegavit, gessi: & insequenti consuli, L. Scipioni, quum terra statuisset ducere exercitum ad Hellespontum, non iter tantum per regnum nostrum dedi, sed vias etiam munivi, pontes feci, commeatus præbui: nec per Macedoniam tantum, sed per Thraciam, ubi etiam inter cætera pax quoque præstanda à barbaris erat. Pro hoc studio meo erga vos, ne dicam merito; utrum adjicere vos Romani aliquid, & amplificare & augere regnum meum munificentia vestra oportebat, an quæ haberem aut meo jure, aut beneficio vestro, eripere? id quod nunc facitis. Macedonum civitates, quas regni mei fuisse fatemini, non restituuntur. Eumenes, tanquam ad Antiochum, ad spoliandum me venit. & (si Diis placet) decem legatorum decretum speciē calumniæ impudentissimæ prætendit; in quo maxime & refelli & coargui potest. Disertissimè enim planissimeque

in

in eo ſcriptum eſt; Cherſoneſum & Lyſimachiam Eumeni dari. Ubi tandem Æneus, & Maronea, & Thraciæ civitates adſcriptæ ſunt? quod ab illis ne poſtulare quidem eſt auſus, id apud vos tanquam ab illis impetraverit, obtinebit? Quo in numero me apud vos eſſe velitis, referte. Si tanquam inimicum & hoſtem inſectari propoſitum eſt, pergite ut cœpiſtis, facere. Sin aliquis reſpectus eſt mei, ut ſocii atque amici regis, deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis.

ORATIO LYCORTÆ PRÆTORIS ACHÆORUM qua legatis Roman. Reſpondet.

ARGVMENTVM.

Lacedæmonii apud Q. Cæcilium legatum primium, deinde Romæ apud ſenatum de injuriis ſuis, quas ab Achæis acceperant, conqueſti ſunt. Inter cætera id quoque criminabantur, mœnia Lacedæmonis ab iis diruta eſſe, abductam plebem venditam, Lycurgi leges ademptas. Legatio deinde decreta, cui us Appius Claudius princeps erat. Is quum dato conſilio expoſuiſſet Achæis ægre ferre ſenatum quod Lacedæmonii tot tamque graves clades intuliſſent, cædemque feciſſent eorum qui miſſi fuerant à Philopœmene, tum Lycortas prætor eorum ita objectis reſpondit.

DIFFICILIOR nobis, Appi Claudi, apud vos oratio eſt, quàm Romæ nuper apud ſenatum fuit. Tunc enim Lacedæmoniis accuſantibus reſpondendum erat: nunc à vobis ipſis accuſati ſumus, apud quos cauſa dicenda eſt: quam iniquitatem conditionis ſubimus quod illa ſpe decidimus, judicis animo te auditurum eſſe, poſita contentione, qua paulo ante egiſti. Ego certè, quum ea, quæ & hic antea apud Q. Cæcilium, & poſtea Romæ queſti ſunt Lacedæmonii, à te paulo antè relata ſint, non tibi ſed illis me apud te reſpondere credam. Cædem objicitis eorum, qui à Philopœmene prætore evocati

cati ad cauſam dicendam, interfecti ſunt. Hoc ego crimen non modò à vobis Romani, ſed ne apud vos quidē nobis objiciendum fuiſſe arbitror: Quid ita? quia in veſtro fœdere erat, ut maritimis urbibus abſtinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis urbes, à quibus abſtinere juſſi erant, nocturno impetu occupaverunt; ſi T. Quintius, ſi exercitus Romanus, ſicut antea in Peloponneſo fuiſſet, eo nimirum capti & oppreſſi confugiſſent. quum vos procul eſſetis, quo alio, niſi ad nos ſocios veſtros, quos antea Gytheo opem ferenteis, quos Lacedæmonem vobiſcum ſimili de cauſa oppugnanteis viderant, confugerent? Pro vobis igitur iuſtum piumque bellum ſuſcepimus. Quod quum alii laudent, reprehendere ne Lacedæmonii quidem poſſint, & *Dii quoque ipſi comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt*; quonam modo ea quæ belli iure acta ſunt, in diſceptationem veniunt, quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos? Noſtrum eſt, quod evocavimus eos ad cauſam dicendam, qui ad arma multitudinem exciverant, qui expugnaverant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædam principum fecerant: Quod vero illi venientes in caſtra interfecti ſunt, veſtrum eſt, Areu & Alcibiade, qui nunc nos, (ſi Diis placet) accuſatis, non noſtrum. Exules Lacedæmoniorum, quo in numero ii quoque duo fuerunt, & tunc nobiſcum erant, & quod domicilio ſibi delegerant maritima oppida, ſe petitos credentes; in eos quorum opera patria extorres, ne in tuto quidem exilio poſſe conſeneſcere ſe indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt, nec iure, an iniuria cæſi ſint, argumentari refert. At enim illa certè veſtra ſunt, Achæi, quod leges diſciplinamque vetuſtiſſimam Lycurgi ſuſtuliſtis, quod muros diruiſtis. Quæ utraque ab iiſdem objici quidem poſſunt? Quum muri Lacedæmoniis non à Lycurgo, ſed paucos ante annos ad diſ-

ſol-

ſolvendam Lycurgi diſciplinam extructi ſint? Tyranni enim nuper eos arcem & munimentum ſibi, non civitati paraverunt. Et ſi exiſtat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc ſe patriam & Spartam antiquam agnoſcere dicat. Non Philopœmenem exſpectare, nec Achæos, ſed vos ipſi Lacedæmonii veſtris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis veſtigia debuiſtis. Veſtræ enim illæ deformes veluti cicatrices ſervitutis erant: & quum ſine muris per octingentos prope annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuiſſetis, muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos ſerviiſtis. Quod ad leges ademptas attinet, ego antiquas Lacedæmoniis tyrannos ademiſſe arbitror. nos non ſuas ademiſſe, quas non habebant, ſed noſtras leges dediſſe: nec male conſuluiſſe civitati, quum concilii noſtri eam fecerimus, & nobis miſcuerimus, ut corpus unum & concilium totius Peloponeſi eſſet. Tunc, opinor, ſi aliis ipſi legibus viveremus alias iſtis injunxiſſemus, queri ſe iniquo jure eſſe, & indignari poſſent. Scio ego, Appi Claudi, hanc orationem, qua ſum adhuc uſus, neque ſociorum apud ſocios neque liberæ gentis eſſe: ſed ſervorum verius diſceptantium apud dominos. Nam ſi non vana vox illa præconis fuit, qua liberos eſſe omnium primos Achæos juſſiſtis, ſi fœdus ratum eſt, ſi ſocietas & amicitia ex æquo obſervatur; cur ego quid Capua capta feceritis Romani, non quæro? vos rationem repoſcitis, quid Achæi Lacedæmonis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui ſunt, finge, à nobis. Quid? vos ſenatores Campanos ſecuri non percuſſiſtis? Muros diruimus. vos non muros tantum, ſed urbem & agros ademiſtis. Specie, inquis, æquum eſt fœdus apud Achæos; re, precaria libertas: apud Romanos etiam imperium eſt. Sentio, Appi: & ſi non oportet, non indignor, ſed oro vos, qua tumlibet interſit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hoſtes veſtri noſtri-

noſtrique apud vos ſint, ac nos ſocii: imo ne meliore jure ſint. Nam ut in æquo eſſent, non fecimus, quum leges iis noſtras dedimus, quum ut Achæi concilii eſſent, effecimus. *Parum eſt victis, quod victoribus ſatis eſt. plus poſtulant hoſtes, quàm ſocii habent.* Quæ jureiurando, quæ monumentis literarum in lapide inſculptis in æternam memoriam ſancta atque ſacrata ſunt, ea cum perjurio noſtro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, &, ſi ita vultis, etiam timemus: ſed plus & veremur & timemus Deos immortales.

Ex quadrageſimo libro ab urbe condita.

ORATIO PHILIPPI MACEDONIS de ſua liberorumque infelici conditione.

ARGUMENTUM.

Philippo regi Macedonum filii erant duo, Perſeus & Demetrius. minor Demetrius multitudinis favorem emeruerat, gratus jam ab initio Romanis, legationum, quas pro patre impigre exequutus erat, nomine, aliiſque præclaris rebus quæ in eo prælucebant. Hoc ipſum Perſeus ægrè ferebat, quod eo pacto imperii ſummam mortuo patre ad eum deferendam eſſe facile appareret. Itaque ſibi adſciſcit Macedonum magnum numerum, qui ſecum patrem regem ſuapte natura in Romanos odio atque ira concitatum, ad bellum incitarent. Nacti eius rei occaſionem alii alia in Romanos, jaciebant, etiam præſente Demetrio. Impatiens irarum juvenis, amoris videlicet ſui erga Romanos velut igniculis agitatus, quæcunque in Romanos dicebant, extemplo dictis refellebat, ita patri ſe ſuſpectum faciens. Inde in concilium adhibebatur quoties de Romanis erat conſultandum. Ex eo vero colloquio Perſeus viam ſibi ad augendam eam ſuſpicionem factam eſſe ratus, nunquam non eius conſilii ſui perficiendi opportunitatem quæ-

ſolvendam Lycurgi diſciplinam extructi ſint? Tyranni enim nuper eos arcem & munimentum ſibi, non civitati paraverunt. Et ſi exiſtat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc ſe patriam & Spartam antiquam agnoſcere dicat. Non Philopœmenem exſpectare, nec Achæos, ſed vos ipſi Lacedæmonii veſtris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis veſtigia debuiſtis. Veſtræ enim illæ deformes veluti cicatrices ſervitutis erant: & quum ſine muris per octingentos prope annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuiſſetis, muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos ſerviiſtis. Quod ad leges ademptas attinet, ego antiquas Lacedæmoniis tyrannos ademiſſe arbitror. nos non ſuas ademiſſe, quas non habebant, ſed noſtras leges dediſſe: nec male conſuluiſſe civitati, quum concilii noſtri eam fecerimus, & nobis miſcuerimus, ut corpus unum & concilium totius Peloponeſi eſſet. Tunc, opinor, ſi aliis ipſi legibus viveremus alias iſtis immunxiſſemus, queri ſe iniquo jure eſſe, & indignari poſſent. Scio ego, Appi Claudi, hanc orationem, qua ſum adhuc uſus, neque ſociorum apud ſocios neque liberæ gentis eſſe: ſed ſervorum verius diſceptantium apud dominos. Nam ſi non vana vox illa præconis fuit, qua liberos eſſe omnium primos Achæos juſſiſtis, ſi fœdus ratum eſt, ſi ſocietas & amicitia ex æquo obſervatur; cur ego quid Capua capta feceritis Romani, non quæro? vos rationem repoſcitis, quid Achæi Lacedæmonis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui ſunt, finge, à nobis. Quid? vos ſenatores Campanos ſecuri non percuſſiſtis? Muros diruimus. vos non muros tantum, ſed urbem & agros ademiſtis. Specie, inquis, æquum eſt fœdus apud Achæos; re, precaria libertas: apud Romanos etiam imperium eſt. Sentio, Appi: & ſi non oportet, non indignor, ſed oro vos, qua tumlibet interſit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hoſtes veſtri noſtri-

noſtrique apud vos ſint, ac nos ſocii: imo ne meliore jure ſint. Nam ut in æquo eſſent, non fecimus, quum leges iis noſtras dedimus, quum ut Achæi concilii eſſent, effecimus. *Parum eſt victis, quod victoribus ſatis eſt. plus poſtulant hoſtes, quàm ſocii habent.* Quæ jureiurando, quæ monumentis literarum in lapide inſculptis in æternam memoriam ſancta atque ſacrata ſunt, ea cum perjurio noſtro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, &, ſi ita vultis, etiam timemus: ſed plus & veremur & timemus Deos immortales.

Ex quadrageſimo libro ab urbe condita.

ORATIO PHILIPPI MACEDONIS de ſua liberorumque infelici conditione.

ARGUMENTUM.

Philippo regi Macedonum filii erant duo, Perſeus & Demetrius. minor Demetrius multitudinis favorem emeruerat, gratus jam ab initio Romanis, legationum, quas pro patre impigre exequutus erat, nomine, aliiſque præclaris rebus quæ in eo prælucebant. Hoc ipſum Perſeus ægrè ferebat, quod eo pacto imperii ſummam mortuo patre ad eum deferendam eſſe facile appareret. Itaque ſibi adſciſcit Macedonum magnum numerum, qui ſecum patrem regem ſuapte natura in Romanos odio atque ira concitatum, ad bellum incitarent. Nacti eius rei occaſionem alii alia in Romanos, jaciebant, etiam præſente Demetrio. Impatiens irarum juvenis, amoris videlicet ſui erga Romanos velut igniculis agitatus, quæcunque in Romanos dicebant, extemplo dictis refellebat, ita patri ſe ſuſpectum faciens. Inde in concilium adhibebatur quoties de Romanis erat conſultandum. Ex eo vero colloquio Perſeus viam ſibi ad augendam eam ſuſpicionem factam eſſe ratus, nunquam non eius conſilii ſui perficiendi opportunitatem quæ-

quærebat. Forte Baſternæ quidam regii ſanguinis ejus gentis, in Macedoniam venientes, ſororem ſuam alteri liberorum Philippi ſe velle dare in matrimonium dixerant: quo nuntio Philippo ſupra modum lætanti; Quid hæc, inquit Perſeus, profutura ſunt nobis, quum fraude domeſtica plus immineat periculi, quam præſidii ab externis auxiliis? Præterea poſt conditum luſtrum quum pro more juvenes regii ſuis quiſque copiis ſtipati concurrerent, ita tamen ut Perſei præſertim furore nihil ad juſtæ prælii ſpeciem præter ferrum deeſſet, eo certamine tandem longe ſuperior Demetrii acies apparuit. Quod indigne paſſus Perſeus quum ad convivium à fratre vocaretur, ſe adfuturum acerrime negat. Feſto deinde die jactatis de ludicro utrinque ſermonibus, ſpeculator ex convivio Perſei ad audiendum quæ jactarentur, forte Perſei juſſu egreditur: qui a juvenibus ex triclinio itidem Demetrii, egreſſis vulneratus abſceſſit. Eius rei ignarus Demetrius, mox, Quin commeſſatum, inquit, ad fratrem imus? & iram, ſi qua forte ex certamine reſidet, noſtra hilaritate lenimus? Conclamarunt omnes qui aderant, præter eos qui auſi erant facinus, eundum eſſe. Ita quum ſoli abnuerent, à Demetrio ire coguntur: ac facti ſui non obliti, gladios ſub veſte occultant, quibus ſe, ſi qua vis forte oriretur, defenderent. Speculatores in veſtibulo ædium Perſei ſtabant, qui extemplo ingreſſi ad Perſeum, nuntiant Demetrium venire inter multos gladios cinctos. Hoc nuntio permotus Perſeus velut in re trepida, claudi quam primum januam jubet. Ita nequicquam pulſatis foribus domum ſuam totius eius rei ignarus Demetrius ad convivium redit. Poſtero die quum primum lucuit, in regiam ad patrem Perſeus ire pergit: quem quum ſoluto triſtiorem Philippus animadverteret, quid ea mœſtitia protenderet, rogat. Perſeus ordine rem totam exponit. Tum pater & Demetrium vocari & amicos aliquot jubet. Quibus miſeriam

ſuam

ſuam & liberorum conditionem, ita ut ſequitur, indicavit. Poſt patrem Perſeus prior Demetrium parricidii accuſat: ſequuta eſt deinde Rei defenſio.

SED EO miſerrimus pater judex inter duos filios, accuſatorem parricidii, & reum; aut conficti aut admiſſi criminis labem apud meos inventurus, Jampridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum *vultus* inter vos *minime fraternos* cernerem, quum voces quaſdam exaudirem. Sed interdum *ſpes animum ſubibat*, deflagrare iras veſtras, purgari ſuſpiciones poſſe. *etiam hoſtes armis poſitis fœdus iciſſe, & privatas multorum ſimultates finitas.* ſubituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam ſimplicitatis conſuetudiniſque inter vos, meorum denique præceptorum quæ, vereor, ne vana ſurdis auribus cecinerim. Quoties ego audientibus vobis, deteſtatus exempla diſcordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli, quibus ſe ſtirpemque ſuam, domos, regna, funditus evertiſſent? Meliora quoque exempla parte altera poſui, *ſociabilem conſortionem* inter binos Lacedæmoniorum reges, *ſalutarem* per multa ſecula *ipſis patriæque*. Eandem civitatem, poſteaquam mos ſibi cuique rapiendi tyrannidem exortus ſit, everſam. Jam hos Eumenem Attalumque fratres, à quàm exiguis rebus, (prope ut puderet regii nominis) mihi, Antiocho, & cuilibet regum huius ætatis, nulla re magis, quam fraterna unanimitate, regnum æquaſſe. Ne Romanis quidem exemplis abſtinui, quæ aut viſa, aut audita habeam: T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum geſſerunt, P. & L. Scipionum, qui Antiochum devicerunt: patris patruique eorum, quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque miſcuit. Neque vos illorum ſcelus, ſimiliſque ſceleri eventus deterrere à vecordi diſcordia potuit; Neque horum bona mens, bona fortuna, ad ſanitatem flectere. Vivo, & ſpirante me hæreditatem meam ambo

&

& ſpe & cupiditate improba creviſtis. Eouſque me vivere vultis, donec alterius veſtrum ſuperſtes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem, Nec patrem poteſtis pati. nihil chari, nihil ſancti eſt: in omnium vicem regni unius inſatiabilis armor ſucceſſit. Agite! conſcelerate aures paternas: decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam, quicquid aut veri poteſtis, aut comminiſci libet. Reſeratæ aures ſunt, quæ poſthac ſecretis alterius ab altero criminibus claudentur.

ORATIO.

PERSEI ACCUSATORIS in Demetrium fratrem parricidii reum,

APERIENDA nimirum nocte janua fuit, & armati commeſſatores accipiendi, præbendumque ferro jugulum, quando non creditur, niſi perpetratum facinus: & eadem petitus inſidiis audio, quæ latro atque inſidiator. Non nequicquam iſti unum Demetrium filium te habere, me ſubditum & pellice genitum appellant. nam ſi gradum, ſi charitatem filii apud te haberem, non in me querentem deprehenſas inſidias, ſed in eum, qui feciſſet, ſævires. Nec adeo tibi vilis vita eſſet noſtra, ut nec præterito periculo meo moveretis, neque futuro, ſi inſidiantibus ſit impune. Itaque ſi mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum Deos, ut à me cœptum ſcelus in me finem habeat, *nec per meum latus tu petaris.* Si autem, quod *circumventis in ſolitudine natura ipſa ſubiecit, ut hominum quos nunquam viderint, fidem tamen implorent*, mihi quoque ferrum in me ſtrictum cernenti, vocem mittere liceat. Per te patriumque nomen (quod utri noſtrum ſanctius ſit, jampridem ſentis) ita me audias precor, tanquam ſi [voce & comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interveniſſes, Demetrium cum armatis nocte intempeſta in veſtibulo meo deprehenduſſes. Quod

tum

tum vociferar in re præsenti pavidus, hoc nunc postero die queror. Fater, non comessantium in vicem jamdiu vivimus inter nos: regnare utique vis: huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat vero etiam patris judicium. Huc transcendere, nisi per meum sanguinem non potes, omnia moliris, & tentas: adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit parricidio tuo. Hesterna die in lustratione, & decursu, & simulacro ludicro pugnæ, funestum prope prælium feciſti: *nec me aliud à morte uindicavit, quàm* quod me ac meos vinci passus sum. Ab hostili prælio, tanquam fraterno lusu, pertrahere me ad cœnam voluisti. Credisne, pater, inter inermes convivas me cœnaturum fuisse, ad quem armati comessatum venerunt? credis nihil à gladiis nocte periculum fuisse, quem fudibus te inspectante propè occiderunt? Quid hoc noctis? quid ut inimicus ad iratum? quid cum ferro succinctis juvenibus venis? Convivam me tibi committere ausus non sum, comessatorem te cum armatis venientem recipiam? Si aperta janua fuisset, funus meum parares hoc tempore, pater, quo querentem audis. Nihil ego tanquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo, ago. Quid enim? negat se cum multitudine venisse ad januam meam? aut ferro succinctos secum fuisse? Quos nominavero, accerse. possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt, non tamen audebunt negare. Si deprehensos intra limen meum cum ferro ad te deducerem, rem pro manifesto haberes; fatentes pro deprehensis habe. Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita! sed ne sint cæcæ, pater, execrationes tuæ, discerne: & dispice insidiatorem, & petitum insidiis: noxium huic esse caput. Qui occisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos; qui perituru fraterno scelere fuit, perfugium in patris misericordia & justitia habeat.

Quo

Quo enim alio confugiam? cui non ſolemne ſuſtrale exercitus tui, non decurſus militum, non domus, non epulæ? non *nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus*, tuta eſt? Si iero ad fratrem invitus, moriendum eſt: Si recepero intra januam commeſſatum fratrem, moriendum eſt. nec eundo, nec manendo inſidias evito. Quo me conferam? nihil præter Deos, pater, & te colui. non Romanos habeo, ad quos confugiam: periſſe expetunt, quia tuis iniuriis doleo: quia tibi ademptas tot urbes, tot gentes, modo Thraciæ maritimam oram, indignor. nec me, nec te incolumi, Macedoniam ſuam futuram ſperant. Si me ſcelus fratris, te ſenectus, abſumpſerit, aut nec ea quidem exſpectata fuerit, regem regnumque Macedoniæ ſua futura ſciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquiſſent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum. At in Macedonibus ſatis præſidii eſt. Vidiſti heſterno die impetum in me militum. Quid illis defuit, niſi ferrum? quod illis defuit interdiu, convivæ fratris noctu aſſumpſerunt. Quid de magna parte principum loquar, qui in Romanis ſpem omnem dignitatis & fortunæ poſuerunt, & in eo qui omnia apud Romanos poteſt? neque hercule iſtum mihi tantum fratri maiori, ſed propè eſt, ut tibi quoque ipſi regi & patri præferant. Iſte enim eſt, cuius beneficio pœnam tibi ſenatus remiſit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam ſenectutem obligatam & obnoxiam adoleſcentiæ ſuæ æquum cenſet. Pro iſto Romani ſtant, pro iſto omnes urbes tuo imperio liberatæ; pro iſto Macedones, qui pace Romana gaudent. Mihi præter te, pater, quid uſquam aut ſpei, aut præſidii eſt? Quo ſpectare illas literas ad te nunc miſſas T. Quintii credis, quibus benè te conſuluiſſe rebus tuis ait quod Demetrium Romam miſeris, & hortatur, ut iterum & cum pluribus legatis, & primoribus quoque Macedonum remittas eum? T. Quintius,

tius qui nunc est auctor omnium rerum isti, & magister, eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit: illinc ante omnia clandestina concocta sunt consilia. Quæruntur adjutores consiliis, quum te plures & principes Macedonum cum isto mittere jubet. qui hinc integri & sinceri Romam eunt, Philippum regem se habere credentes, imbuti illic & infecti Romanis delinimentis redeunt. Demetrius iis *unus omnia est*: eum jam regem vivo patre appellant. Hæc si indignor, audiendum est statim, non ab aliis solum, sed etiam à te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego verò, si in medio ponitur, non agnosco. quem enim suo loco moveo, ut ipse in eius locum succedam? Unus ante me pater est, & ut diu sit, Deos rogo. Superstes (& ita fim, si merebor, ut ipse me esse velit) hæreditatem regni, si pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris gentium. Obstat frater maior; ad quem jure, voluntate etiam patris, regnum pertinet. Tollatur, non primus regnum fraterna cæde petiero. Pater senex, & filio solus orbatus, de se magis timebit, quàm ut filii necem ulciscatur, Romani lætabuntur, probabunt, defendent factum. Hæ spes incertæ, pater, sed non inanes sunt. Ita enim res se habet: periculum vitæ propellere à me potes, puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt: si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.

ORATIO
DEMETRII, parricidii rei.

OMNIA quæ reorum antea fuerant auxilia, pater præoccupavit accusator. Simulatis lacrymis in alterius perniciem, veras meas lacrymas suspectas tibi fecit. quum ipse, ex quo ab Roma redii, per occulta cum suis colloquia dies noctesq; insidietur ultrò mihi; nunc non insidiatoris modo,

sed

ſed latronis manifeſti & percuſſoris ſpecem induit. Periculo ſuo te exterret, ut innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. Perfugium ſibi nunquã gentium eſſe ait, ut ego ne apud te quidem quicquam ſpei reliquæ habeam. Circumventum, ſolum, inopem, invidia gratiæ externæ, quæ obeſt potius, quam prodeſt, onerat. Jam illud quam accuſatoriè, quod noctis huius crimen miſcuit cum cætera inſectatione vitæ meæ? Ut & hoc quod jam quale ſit, ſcies, ſuſpectum alio vitæ noſtræ tenore faceret, & illam vanam criminationem ſpei, voluntatis conſiliorum meorum, nocturno hoc ficto & compoſito argumento fulciret. Simul & illud quæſivit, ut repentina & minime præparata accuſatio videretur, quippe ex noctis huius metu & tumultu repentino exorta. Oportuit autem, Perſeu, ſi proditor ego patris regnique eram, ſi cum Romanis, ſi cum aliis inimicis patris inieram conſilia, non expectatam fabulam noctis huius eſſe, ſed proditionis meæ antè me accuſatum: ſi illa ſeparata ab hac vana accuſatio erat, invidiamque tuam adverſus me magis quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri, ut perſpiceretur, utrum ego tibi, an tu mihi novo quidem & ſingulari genere odii, inſidias feciſſes. Ego tamen, quantum in hac ſubita perturbatione potero, ſeparabo ea quæ tu confudiſti: & noctis hujus inſidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi ſui conſilium me iniiſſe, videri vult, ut ſcilicet, maiore fratre ſublato, cuius jure gentium, more Macedonum, tuo etiam (ut ait) judicio regnum eſt futurum, ego minor in eius quem occidiſſem, ſuccederem locum. Quid ergo illa ſibi vult pars altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atque eorum fiducia in ſpem regni me veniſſe? Nam ſi & in Romanis tantum momenti eſſe credebam, ut quem vellent, imponerent Macedoniæ regem, & meæ tantum apud eos gratiæ confidebam, quid opus

opus patricidio fuit? An ut cruentum fraterna cæde diadema gererem? ut illis ipsis, apud quos aut vera aut certè simulata probitate partam gratiam habeo (si quam forte habeo) execrabilis & invisus essem? nisi T. Quintium credis, cujus virtute & consiliis me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse auctorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum judicia, ac pene omnium Deorum hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit, idem tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse judicetur? Exequamur tamen quocunque modo confícti ordinem criminis. Pluribus modis se petitũ criminatus est, & omnes insidiarum vias in unum diem contulit. Volui interdiu eum post lustrationem, quum concurrimus, & quidem (si Diis placet) lustrationum die occidere: volui, quum ad cœnam invitavi, veneno scilicet tollere: volui, quum comessatum gladiis accincti me sequuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, vides; lusus, convivii, comessationis. Quis dies? qualis? quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam prælatis omnium qui unquã fuêre Macedoniæ regum armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, prævecti sumus, & sequutum est Macedonum agmen. Hoc ego etiam si quid antè admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro, tum quum maximè in hostiam itineri nostro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios in comessationem præparatos, volutabam in animo; Ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expia-

rem? Sed *cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia ſuſpecta efficere vult, aliud alio confundit.* Nam ſi veneno te inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit quàm pertinaci certamine & concurſu iratum te efficere, ut meritò, ſicut feciſti, invitatus ad cœnam abnueres? quum autem iratus negaſſes, utrum ut placarem te danda opera fuit, ut aliam quærerem occaſionem, quoniam ſemel venenum paraveram: an ab illo conſilio velut tranſiliendum ad aliud fuit, ut ferro te, & quidem eo die per ſpeciem comeſſationis occiderem? Quo deinde modo, ſi te metu mortis credebam cœnam evitaſſe meam, non ab eodem metu comeſſationem quoque evitaturum exiſtimabam? *Non eſt res qua erubeſcam, pater, ſi die feſto inter æquales largiore vino ſum uſus.* Tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo luſu apud me celebratum heſternum convivium ſit: illo etiam (pravo forſitan) gaudio provehente quod in juvenili armorum certamine pars noſtra non inferior fuerat. miſeria hæc & metus crapulam facile excuſſerunt, quæ ſi non interveniſſent, inſidiatores nos ſopiti jaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram, non temperaſſem vino in unum diem? non milites abſtinuiſſem meos? Et ne ego me ſolus nimia ſimplicitate tuear, ipſe quoque minimè malus ac ſuſpicax frater, nihil aliud ſcio, inquit, nihil arguo, niſi quod cum ferro comeſſatum venerunt. Si quæram, unde id ipſum ſcieris, neceſſe erit te fateri, aut ſpeculatorum tuorum plenam domum fuiſſe meam, aut illos ita aperte ſumpſiſſe ferrum, ut omnes viderent. Et nequid ipſe aut prius inquiſiſſe, aut nunc criminoſe argumentari videretur, te quærere ex iis quos nominaſſet, jubebat, an ferrum habuiſſent? ut tanquam in re dubia quum id quæſiſſes, quod ipſi fatentur, pro convictis haberentur. Quin tu illud quæri jubes, num tui occidendi cauſa ferrum ſum-

sumpserint? num me auctore & sciente? Hoc enim videri vis non illud quod fatentur, & palam est, & sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Rectè an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddenet. Meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris: aut explica, utrum aperte an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuum speculatorem pulsarunt? si clam, quis ordo consilii fuit? Convivio soluto, quum comessator ego discessissem, quatuor subtitissent, ut sopitum te aggrederentur? quomodo fefellissent & alieni & mei & maxime suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant? quomodo autem trucidato te ipsi evasuri fuerint? quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit. Quin tu omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod invidiam urit, reverteris? Cur usquam regni tui mentio fit, Demetri? cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris, quàm ego? cur spem meam, quæ si tu non esses, certa erat, dubiam & solicitam facis? Hæc sentit Perseus, etsi non dicit: hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum criminibus & suspicionibus replent. Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere unquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis; sic illud nec debui facere, nec debeo, ut indignus te patre, indignus omnibus videar. Id enim vitiis meis, non cedendo cui jus fasque est, hoc modestia consequar. Romanos objicis mihi: & ea quæ gloriæ esse debent, in crimen vertis. Ego nec obses Romanis ut traderer, nec ut legatus mitterer Romam, petii. à te missus, ire non recusavi. utroque tempore *ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem.* Itaque mihi cum Romanus amicitiæ causa tu fuisti, pater: quod tecum illis pax manebit, mecum quoque gra-

tia erit; si bellum esse cœperit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie ut prosit mihi gratia Romanorum, postulo: ne obsit, tantum deprecor. nec in bello cœpit, nec ad bellum reservatur. Pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum. neutra res mihi nec gloriæ nec crimini sit. Ego si quid impie in te, pater, si quid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam. si innocens sum, ne invidia conflagrem, quum crimine non possim, deprecor. Non hodie me primum frater accusat, sed hodie primum aperte, nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minori deprecari oportebat, te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In eo ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. E convivio & comessationibus propè semisomnus raptus sum ad causam parricidii dicendam. sine advocatis, sine patronis, ipse pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum & ad componendam orationem sumpsissem, quum quid aliud quàm ingenii fama periclitarer? Ignarus quid arcersitus essem, ac iratum & jubentem dicere causam, fratrem accusantem audivi. Ille diu ante præparata, mediata in me oratione est usus: ego id tantum temporis, quo accusatus sum, ad cognoscendum quid agerent habui. Utrum momento illo horæ accusatorem audirem? an defensionem meditarer? Attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid objiceretur, intelligere potui: nedum satis sciam quo modo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem judicem haberem? apud quem etiam si charitate à fratre maiore vincor, misericordia certe reus vinci non debeo. Ego enim ut me mihi tibique serves, precor: ille ut me in severitatem suam occidas postulat. Quid eum quum regnum ei tradideris, facturum credis in me esse, qui jam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?

ORA-

ORATIO T. SEMPRONII PRÆTORIS ad L. Minucium legatum.

ARGVMENTVM.

L. Minucius legatus, & duo tribuni militum regressi Romam ex Hispania, nuntiarant senatui quæ prospere ac feliciter illic gesta erant, inter alia duo secunda prælia, Celtiberorum deditionem, confectam provinciam esse. Id tamen postularant, ut Q. Fulvio inde exercitum deducere liceret: milites enim jam ultra in ea provincia retineri non posse, alioqui imussu abituros esse, aut certe seditionem moturos. T. erat Sempronius prætor cui ea provincia decreta erat. Is nequid faceret quod è Repub. non videretur, jam ex Minucio ipso quærit quidnam sentiat ea in re faciendum.

QUÆRO de te, L. Minuti, quum confectam provinciam nunties, existimesne Celtiberos perpetuo in fide mansuros ita ut sine exercitu ea provincia obineri possit? Si neque de fide barbarorum quicquam recipere aut affirmare nobis potes, & habendum illic utique exercitum censes; utrum tandem auctor senatui sis supplementum in Hispaniam mittendi? ut ii modo quibus emerita stipendia sint, milites dimittantur, veteribus militibus tirones immisceantur? An deductis de provincia veteribus legionibus novas conscribendi & mittendi, quum contemptum tyrocinium etiam mitiores barbaros excitare ad rebellandum possit? Dictu quàm re facilius sit, provinciam ingenio ferocem rebellatricem confeciſſe Paucæ civitates, ut quidem ego audio, quas vicina maxime hyberna premebant, in jus ditionemque venerunt; ulteriores in armis sunt, quæ quum ita sint, ego jam hinc prædico, P. C., me exercitu eo, qui nunc est, Rempub. administraturum: si deducat secum Flaccus legiones, loca pacata me ad hybernacula electurum, neque novum militem ferociſſimo hosti obiecturum.

ORATIO.

Q. CÆCILII METELLI, ad M. Lepidum & M. Fulvium censores declaratos, de reconciliatione.

ARGUMENTUM.

M. Æmilius Lepidus, pontifex maximus, & M. Fulvius, graves jam sæpe ac diu ante invicem exercuerant inimicitias quum omnium tribuum consensu creati censores fuere. Declarati quum nihilo magis redirent in gratiam, quam ante communem magistratum: id ægrè passi primores senatorum, ad eos, ad aram Martis dimissis comitiis pro more confidentes, veniunt: inter quos Q. Metellus pro omnibus unus in hæc verba ad reconciliationem eos deducere ac revocare conabatur.

NON obliti sumus, censores, vos paulo ante ab universo populo Romano moribus nostris præpositos esse: & nos à vobis & admoneri & regi, non vos à nobis debere. Indicandum tamen est, quid omnes bonos in vobis aut offendat, aut certe mutatum malint. Singulos quum intuemur, *M.* Æmili, M. Fulvi, neminem hodie in civitate habemus, quem, si revocemur in suffragium, velimus vobis prælatum esse. Ambo quum simul aspicimus, non possumus non vereri, ne male comparati sitis, *nec tantum Reipub. prosit quod omnibus nobis egregie placetis, quàm, quod alter alteri displicetis, noceat. Inimicitias* per annos multos vobis ipsis graves & atroces *geritis*: quæ, periculum est, ne ex hac die nobis & Reipub. quam vobis graviores fiant. *De quibus causis hoc timeamus, multa succurrunt quæ dicerentur*; nisi forte *implacabiles vestræ iræ implicaverint animos vestros.* Has ut hodie, ut in isto templo finiatis simultates, quæsumus vos universi: & quos conjunxit suffragis suis populus Romanus, hos etiam reconciliatione gratiæ conjungi à nobis sinatis. Uno animo, uno consilio legatis senatum, equites recensetis, agatis censum, lustrum condatis.

tis. quod omnibus fere precationibus nuncupatis his verbis, *Vt ea res mihi collegæque meo bene & feliciter eveniat*, id ita ut vere, ut ex animo velitis evenire: efficiatisque, ut quod Deos precati eritis id vos velle etiam homines credamus. T. *Tatius & Romulus, in cujus urbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordes regnarunt.* Non modo simultates, sed bella quoque finiuntur: *ex infestis hostibus plerumque socii fideles, interdum etiam cives fiunt.* Albani diruta Alba Romam traducti sunt: Latini Sabini in civitatem accepti. Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: *Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.*

ORATIO
PHILIPPI REGIS MACEDONUM ad Antigonum de regni hæreditate.

ARGUMENTUM.

Perseus, major Philippi liberorum, non æquo animo ferens, audita invicem accusatione ac defensione parricidii, à patre de ea re judicium in aliud tempus dilatum esse, ubi disquisitionibus atque inquisitionibus in vitam & mores utriusque compertum esset, uter culpandus foret: nec die nec nocte quicquam prætermittebat quod ad augendam suspicionem, finiendamque quam primum disceptationem pertineret. Ac ejus (puto) importunitate ac querelis pater rex victus, Romam legatos duos, quos in neutram partem inclinare putabat, re vera Persei fautores, mittit, qui de in ipsis quæ in Demetrium congesta crimina erant, cognoscerent. Ii erant Philocles & Appelles, qui Roma in Macedoniam regressi, literas falsas adulterino T. Quintii signo notatas, Regi reddiderunt, quibus facile apparebat crimina Persei in fratrem jacta, vera esse. Tum vero Perseus jam victoriam prope in manibus cernens, rursus fratrem apud patrem accusat? quo quidem judicio nihil palam contra reum pro-

nuntiatum, ut dolo potius interficeretur. Itaque ab Theſſalonica Demetriadem profecturus Philippus, Dida quodam prætore, qui Perſei partium erat, comite, Demetrium ad Aſtreum Pæoniæ oppidũ mittit: Nec abeſt ſuſpicio quin ei Didæ digredienti de filio occidendo mandata pater dederit. Profecti ab Aſtreo Heracleam, cum aliis cœnam illic hilariter celebrant: quo in convivio epoto veneno, non ita multo poſt & patris crudelitatem, & fratris parricidium, & Didæ ſcelus conquerens innoxius juvenis abſumptus eſt. Exinde pater rex comperta morte, conſcientia ſcelerum premente, vitam triſtem ac miſerabilem egit. Iam Antigonus erat Antigoni alterius (Philippi tutor fuerat) nepos, qui amicus Philippi permanſerat. Is per invidiam legatorum ſupra nominatorum, qui literis falſis confirmarant crimina Perſei in fratrem, Demetrio occiſo, animo ſuo proponens, mortuo quoque patre magnum ſibi à Perſeo periculum fore, Philippum quotidie ſolicitabat ad veritatem criminis explorandam. Ac forte Xychus conſilii particeps, quum ipſi obvius egredienti à Philippo foret, eius indicio ad Philippum ut conſcius defertur. Adductus, parvo metu injecto ordinem omnem ſacinoris exponit: De legatis ſumptum ſupplicium. Detectas eſſe fraudes audiens Perſeus, non temere ſe patri committere auſus, procul inde abfuit. Philippus deinde per occaſionem Antigono voluntatem ſuam de regni hæreditate, quam ad eum ſe mortuo venturam deſtinabat, in hæc verba declaravit.

QUANDO in eam fortunam veni, Antigone, ut orbitas mihi, quam alii deteſtantur parentes, optabilis eſſe debeat; regnum, quod à patruo tuo, forti non ſolum fideli tutela eius cuſtoditum & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo eſt. Te unum habeo, quem dignum regno judicem. ſi neminem haberem, *perire & extingui*

id

id mallem, *quàm Perſeo ſceleſtæ fraudis præmium eſſe*. Demetrium excitatum ab inferis, reſtitutumque credam mihi, ſi te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori unus illacrymaſti, in locum ejus ſubſtitutum relinquam.

ORATIONES

ex CORN. TACITO collectæ.

ORATIO VIBULENI.

Ex libro 1. Annal.

ARGUMENTUM.

Ineunte Tiberii imperio, Pannonicus Romanorum exercitus graviſſimos motus & ſeditiones concitavit. Tumultuoſe flagitabat miles miſſionem ad id tempus quod multitudo definiret: ſtipendia verò liberaliora, & remiſſius in ſe vus centurionum. Pro ſe quiſque tumultum augebat: ſed præter cæteros Vibulenus, ex infima face miles gregarius, ſeditioſas & falſas voces jactavit, quas in oratiunculam hanc concluſit Tacitus. Hic ut ardentem jam imperatoris Blæſi invidiam etiam inflammaret, falſum crimen commentus, in eum debacchatus eſt adſtante militum furioſa multitudine. Cædem fratris ſui, & fratrem ipſum mentitus, in eum conjecit.

VOS quidem, *inquit*, his innocentibus & miſerrimis lucem & ſpiritum reddidiſtis: ſed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem miſſum ad vos à Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores ſuos, quos in exitium militum

habet atque armat. Reſponde Blæſe, ubi cadaver abjeceris. *ne hoſtes quidem ſepulturam invident.* Cum oſculis, cum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob ſcelus, ſed quia utilitati legionum conſulebamus, hi ſepeliant.

ORATIO CLEMENTIS CENTURIONIS

Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Improviſo Lunæ defectu ſævientis antea & ſeditione æſtuantis exercitus animi ſunt territi. Qua occaſione Druſus ſibi utendum ad reſtinguendam ſeditionem ratus, ſummiſit aliquot ſanioris mentis milites, in his Clementem centurionem ad commonendos, injectis de induſtria ſermonibus, milites. Hic paſſim quum in cœtus aliquos incidiſſet, conciunculam hanc habebat, qua in furorem tumultuantium militum invehebatur.

QVOVSQVE filium imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennione & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennis & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? Denique pro Neronibus & Druſis, imperium populi Romani capeſſent? *Quin potius ut noviſſimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus? Tarda ſunt quæ in commune expoſtulantur: Privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias.*

ORATIO GERMANICI CÆSAR.

Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Præerat Germanicus Cæſar duobus exercitibus, qui in Germania propter Rhenum erant. Eorum inferior qui dicebatur, Pannonicum illum imitatus, graviores etiam motus ciere cœpit: dein ad omnem audaciam & furorem prorupit, Cauſas ſeditioni prætexuit eaſdem quas & Pannonicus ille quem diximus,

diximus. Sed eadem illa poſtulabat multo imperioſius multoque ferocius. Manus à centurionibus, tribunis, legatis, qui à ſenatu miſſi erant, non abſtinuit, ſed vix ab ipſo Germanico. Qui uxori tum gravidæ & filiolo ſuo metuens, quos in iis caſtris ſecum habebat, decrevit eos in Treviros mittere. Legiones magnam ſibi ignominiæ notam inuri, ſi id fieret, judicarunt. Quamobrem deprecatum ad Germanicum, ne id faceret, venerunt. Hac ille arrepta occaſione uſus eſt ad increpandam exercitus amentiam; itaque hac oratione graviter eos obiurgat. Facti indignitatem, exemplis aliorum & maleficiorum per ſeditionem hanc perpetratorum commemoratione, demonſtrat. Indignos tantis imperatoribus dicit quorum auſpiciis militarunt.

NON mihi uxor aut filius patre & Republ. chariores ſunt: ſed illum quidem ſua maieſtas, imperium Romanum cæteri exercitus defendent: Conjugem & liberos meos (quos pro gloria veſtra libens ad exitium offerrem) nunc procul à furentibus ſummoveo, ut quidquid iſtuc ſceleris imminet, meo tantum ſanguine pietur; neve occiſus Auguſti pronepos, interfecta Tyberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inauſum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? Militeſne appellem? qui filium imperatoris veſtri vallo & armis circumſediſtis. an cives, quibus tam proiecta ſenatus autoritas? Hoſtium quoque jus, & ſacra legationis, & fas gentium rupiſtis. Divus Julius ſeditionem exercitus *verbo uno* compeſcuit, *Quirites* vocando, qui ſacramentum ejus detrectabant. Divus Auguſtus vultu & adſpectu Actiacas legiones exterruit. Nos, ut nondum eoſdem, ita ex illis ortos, ſi Hiſpaniæ Syriæve miles aſpernaretur, tamen mirum & indignum erat, Primane, & viceſima legiones, illa ſignis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta, egregiam duci veſtro gratiam referretis?

fertis? Hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è provinciis audienti, feram? ipsius tyrones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: Hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina: meque *precariam animam* inter infensos *trahere*? Cur enim primo concionis die ferrum illud quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! melius & amantius ille qui gladium offerebat. Cecidissem certè nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: Legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam fineret, Vari tamen & trium legionum ulciscereretur. Neque enim Dii sinant, ut Belgarum (quanquam offerentium) decus istud & claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens, tua pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, iraque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite à contactu, ac dividite turbidos. Id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

ORATIO
SEGESTIS Ex eodem libro.
ARGVMENTVM.

Chatti erant populi trans Rhenum, vicinos habebant Vbios. In his populis erant potentissimi duo, Arminius & Segestes: ille gener, hic socer. Sed Segestes in Romanorum fidem se contulerat: Arminius cruentam bellum adversus Romanos gesserat, & tres legiones, quibus præerat Varus, ceciderat. Aliquot post annis redintegrato bello à Germanico Cæsare perstitit in Romanorum fide Segestes: Arminius inveteratas inimicitias eo bello in Romanos exprompsit, & se ducem Germanis præbuit. Obsessus

ſus Segeſtes à ſuis popularibus, Romanorum auxilium imploravit, liberatus ad eos confugit. Sed filiam habebat ſecum, quæ gravida erat ex Arminio: & filium qui ancipiti fide erga Romanos fuerat. Itaque ad Germanicum quum veniſſet, deprecator fuit non ſuæ tantum ſed filii & filiæ ſuæ ſalutis: ſibique auxilium calamitatis, filio erroris veniam, filiæ ſceleratí mariti impunitatem poſtulavit.

NON hic mihi primus erga populum Romanum fidei & conſtantiæ dies: ex quo à divo Auguſto civitate donatus ſum, amicos inimicoſq; ex veſtris utilitatibus delegi; neque odio patriæ (quippe *proditores, etiam ius quos anteponunt, inviſi ſunt*) verum quia Romanis Germaniſque idem conducere, *& pacem, quàm bellum probabam.* Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis veſtri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præſidebat, reum feci, dilatus ſegnitia ducis, quia *parũ præſidii in legibus erat*; ut me, & Arminium, & conſcios vincirem, flagitavi. teſtis. illa nox, mihi utinam potius noviſſima! quæ ſequuta ſunt, *deſleri magis, quàm defendi* poſſunt. Cæterum & injeci catenas Arminio, & à factione ejus injectas perpeſſus ſum. Atque ubi primum tui copia; vetera novis, & quieta turbidis antehabeo; neque ob præmium, ſed ut me perfidia exſolvam, ſimul genti Germanorum idoneus conciliator, ſi pœnitentiam quàm perniciem maluerit. Pro juventa & errore filii veniam precor filiam neceſſitate huc adductam fateor, tuum erit conſultare, utrum prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita eſt.

ORATIO
M. HORTALI Ex libro 11. Annal.

ARGVMENTVM.

M. Hortalus erat ſenator, & nepos Q. Hortenſii clariſſimi oratoris, ex nobiliſſima Hortenſiorũ familia. Sed hic rei familiaris anguſtia graviſſimè premebatur, ut vix per inopiam ordinem ſuum obtinere poſſet.

set. Emerserat antea pene ex summa paupertate Augusti Cæsaris liberalitate, Acceperat enim ab eo satis grandem pecuniam, & jussus erat prolem suscipere, ne ea stirps interiret. Verum quum copiosum sobolem procreasset, non satis se sustentare poterat. Itaque quum senatus haberetur, jussis filiis præ foribus curiæ assistere, ipse Tiberium Cæsarem rogavit ut se suosque nova liberalitate juvare vellet.

P. C. hos quorum numerum & pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat: simul majores mei meruerant, ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam *gentile domus postræ bonum* varietate temporum accipere vel parare potuissem, *satis habebam, si tenues res mex nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent.* Jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps & progenies tot consulum, tot dictatorum. Nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero. Adsequentur, florente te, Cæsar, quos dederis honores; Interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos, ab inopia defende.

RESPONSIO TIBERI CÆSARIS Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Respondet ad Hortali illius postulationem Tiberius. Nihil se in ejus inopiam quam prædicet erogare posse. Causas quamobrem repudiet rogantem, affert hos. Intempestivam esse postulationem beneficii in senatu: largitionibus nimiis exhauriri ærarium: benignitate illa foveri hominum inertiam: multos à principum liberalitate petere sux paupertatis subsidium; qui si allaborent, non egeant.

SI quantum pauperum est, venire huc, & liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, Respublica deficiet. Nec sane ideo à majoribus concessum est egredi aliquando

ic-

relationem, & quod in commune conducat, loco sententiæ proferre, ut privata negotia, & res familiares nostras hic augeamus cum invidia senatus & principum, sive indulserint largitionem sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed effagitio intempestiva quidem & improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere, & numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere ærarium: *quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit.* Dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur. *Langueſcet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; & securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves.*

ORATIO
GERMANICI Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Germanicus Cæsar peragrata Ægypto in morbum incidit: quo levatus alio repente fuit correptus, quo graviter conflictatus est: & suberat suspicio oblati à Pisone præside Syriæ veneni. Desperata valetudine, sic apud amicos qui tum frequentes aderant moribundus loquutus est. Rogat ne impune tantum scelus patiatur esse Pisoni & Plancinæ ejus uxori. quæ particeps sceleris credebatur. Rationem pœnarum persequendarum aperit.

SI fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset, quod me parentibus, liberis, patriæ? intra juventam præmaturo exitu raperent. nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo, referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus delaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem monebat, illacrimabunt quondam florentem, &

tot

tot bellorum ſuperſtitem, muliebri fraude cecidiſſe. Erit vobis locus querendi apud ſenatum, invocandi leges. *Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo queſtu, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit exſequi.* Flebunt Germanicum etiam ignoti: *Vindicabitis* vos, *ſi me potius quàm fortunam meam fovebatis.* Oſtendite pop. Roman. divi Auguſti neptem, eandemque coniugem meam; numerate ſex liberos. Miſericordia cum accuſantibus erit: fingentibuſque ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent.

ORATIO TIBERII IN SENATU.

Ex libro III. Annal.

ARGVMENTVM.

Piſo ille quem diximus in ſuſpicionem veniſſe porrecti Germanico veneni, reus illius criminis ab amicis Germanici factus eſt. Tiberius eius cauſa diſceptationem à ſe ad ſenatum revocat. Die conſtituta cauſæ dictionis præſto ſunt accuſatores. Ibi Tiberius, in quem multi aliquam ejus cædis culpam conferebant, eos hortatur ut ad accuſandum ſincerum & vacuum ab omni cupiditate animum afferant. Daturum operam ut ne Piſo, ſi certis criminibus teneatur, impunitatem tanti ſceleris conſequatur, tantum illi æquitatis vindicandæ ſtudio ad cauſam agendam deſcendant.

DIE *ſenatus Cæſar orationem habuit meditato temperamento: Patris ſui legatum atque amicum Piſonem fuiſſe, adjutoremque Germanico datum a ſe, auctore ſenatu, rebus apud Orientem adminiſtrandis. Illic contumacia & certaminibus aſperaſſet juvenem, exituque ejus lætatus eſſet, an ſcelere extinxiſſet, integrus animus dijudicandum.* Nam ſi legatus officii terminos, obſequium erga imperatorem exuit, ejuſdemque morte, & luctu meo lætatus eſt, odero, ſeponamque à domo mea, & privatas inimicitias novi Principis ulciſcar; Sin facinus in cujuſ-

cun-

cunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero & liberos Germanici, & nos parentes justis solatiis adficite, simulque illud reputate, turbidè & seditiosè tractaverit exercitus Piso, quæsita sint per ambitionem studia militum; armis repetita provincia, an falsa hæc in maius vulgaverint accusatores. quorum ego nimiis studiis jure succenseo. Nam quo pertinuit nudare corpus, & contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos. tanquam venena interceptus esset, si incerta adhuc ista & scrutanda sunt? Defleo quidem filium meum, semperque deflebo: sed *neque* reum *prohibeo quominus* cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: Vosque oro ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina pro approbatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia & cura valet juvate periclitantem: ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius quàm in foro, apud senatum, quàm apud judices de morte eius anquiritur. cætera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrymas, nemo mœstitiam meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur.

ORATIO SEVERI CÆCINÆ, quà uxores à Provinciis arceri debere statuit.

ARGUMENTUM.

Post missum in Asiam Lepidum, de Africa decretum est, ut Cæsar eligeret cui mandanda foret. Hac occasione Severus Cæcina censens, ne quem magistratum, cui Provincia obvenisset, uxor comitaretur, in hunc modum disseruit.

HAUD frustra placitum olim, ne fœminæ in socios aut gentes externas traherentur. Inesse *mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum*

bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convertant, Non imbecillum tantum, & *imparem laboribus ſexum*; ſed, ſi licentia adſit, *ſævum*, *ambitioſum*, *poteſtatis avidum*: Incedere inter milites, habere ad manum centuriones: præſediſſe nuper fœminam exercitio cohortium, decurſu legionum. Cogitarent ipſi, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari. His ſtatim adhæreſcere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia ſuſcipi, tranſigi: duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria; pervicacibus magis & impotentibus mulierum juſſis, quæ Oppiis quondam aliiſque legibus conſtrictæ, nunc vinclis exſolutis, domos, fora, jam & exercitus regerent.

ORATIO

VALERII MESSALINI, quæ Cæcinæ reſpondet.

ARGVMENTVM.

Verba Cæcinæ paucorum adſenſu audita, plures obturbabant: cum mox Valerius Meſſalinus, cui parens Meſſala, eratque imago paternæ facundiæ, dixit.

MULTA duritie veterum melius & lætius mutata, Neque enim, ut olim, obſideri urbem bellis, aut provincias hoſtiles eſſe, & pauca fœminarum neceſſitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem Penates adeò ſocios non onerent. Cætera promiſcua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella planè accinctis obeunda: ſed *revertentibus poſt laborem, quod honeſtius quam uxorium levamentum?* at quaſdam in ambitionem aut avaritiam prolapſas. Quid ipſorum magiſtratuum? nonne pleroſque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos ſæpe pravitatibus uxorum maritos; num ergo omnes cælibes integros? placuiſſe quondam Oppias leges ſic temporibus Reipub. poſtulantibus: remiſ-

miſum aliquid poſtea & mitigatum, quia expedierit. Fruſtra noſtram ignaviam alia ad vocabula tranferri: Nam viri in eo culpam, ſi fœmina modum excedat. Porro ob unius aut alterius imbecillum animum, malè eripi maritis conſortia rerum ſecundarum adverſarumque. ſimul ſexum natura invalidum deſeri, & exponi ſuo luxu, cupidinibus alienis. Vix præſenti cuſtodia manere illæſa conjugia? quid fore, ſi per plures annos in modum diffidii obliterentur? ſic obviam irent iis quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminiſſent.

ORATIO M. LEPIDI IN SENATU. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Lutorius Priſcus æques Romanus, lugubre carmen Germanico cecinerat, ſed ſpecioſo tamen quæſito Germanici demortui nomine. Nam compertum eſt, in Druſum tum decumbentem conſcriptum fuiſſe carmen, quod majore mercede vellet edere ſi is exceſſiſſet. Dictæ ſunt in eum ſententiæ frequentes in ſenatu, ut id ei fraudi capitali eſſet. Vnus & alter mitioris ſententiæ autor fuit, quorum hic eſt unius oratio. Is erat M. Lepidus, qui clementius de eo ſtatuendum cenſuit, ut bona ejus publicarentur, ipſe exilio mulctaretur.

SI P. C. ucum id ſpectamus, quam nefaria voce Lutorius Priſcus mentem ſuam & aures hominum polluerit, neque carcer, neque laqueus, ne ſerviles quidem cruciatus in eum ſuffecerint. Sin flagitia & facinora ſine modo ſunt, ſuppliciis ac remediis, principis moderatio, majorumque & veſtra exempla temperant; & vana à ſceleſtis, dicta à maleficiis differunt: Eſt locus ſenteniæ per quam neque huic delictum impune ſit, & nos *clementiæ ſimul ac ſeveritatis* non pœniteat. Sæpe audivi principem noſtrum conquerentem, ſi quis ſumpta

ſumpta morte miſericordiam eius præveniſſet. Vita Lutorii in integro eſt, qui neque ſervatus in periculum Reipub. neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena vecordiæ, ita inania & fluxa ſunt: nec quicquam grave ac ſerium ex eo metuas, qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe, & bonis amiſſis, aqua & igni arceatur. Quod perinde cenſeo ac ſi lege maieſtatis teneretur.

ORATIO TIBERII AD SENATUM. Ex libro IV. Annal.

ARGVMENTVM.

Druſum Sejanus, homo ambitioſus, veneno necavit. Illius mortui liberos patrui fidei primùm commiſit Tiberius: deinde hac oratione ſenatui commendavit, rogavitque per Auguſti & Druſi memoriam, ut eos complecteretur.

P. C. Hos, *inquit*, orbatos parente, tradidi patruo ipſorum precatuſque ſum (quanquam eſſet illi propria ſoboles) ne ſecus quàm ſuum ſanguinem foveret ac tolleret, ſibique & poſteris conformaret. Erepto Druſo, preces ad vos converto, Diiſque & patria coram, obteſtor Auguſti pronepotes, clariſſimis maioribus genitos, ſuſcipite, regite, veſtram meamque vicem explete. Hi vobis, Nero & Druſe, parentum loco. *Ita nati eſtis ut bona malaque veſtra ad Rempub. pertineant.*

DEFENSIO CREMUTII IN SENATU. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Cremutius Cordus amales Romanos conſcripſerat. In iis magnis laudibus ornaverat Brutum & Caſſium percuſſores Iulii Cæſaris, quorum invisa erat memoria Cæſaribus, quibus ille imperium, id eſt oppreſſam à ſe civitatem, quaſi hæreditarium prodiderat. Itaque hoc ſolo nomine poſtulatus eſt ille

Ma-

Maiestatis. Causa in senatu disceptata est sedente & cognoscente Tiberio. Is ad causam dicendam quum venisset, tametsi salute desperata, hanc tamen pro se defensionem habuit. Probat tum recentibus, tum ex vetustate repetitis exemplis, nemini fraudi esse capitali in Repub. Romana scribendi licentiam. Aliter coërceri facta, aliter dicta. Quicquid est culpæ, id eo levari quod laus illa sit collata in homines jam è vita egressos.

VERBA mea P. C. arguuntur: *adeo factorum innocens sum.* Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum & Cassium laudavisse dicor. quorum res gestas, cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus *Livius* eloquentiæ ac *fidei præclarus in primis*, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret. Neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignes viros nominat. Asinii Pollionis scripta, egregiam eorundem memoriam tradunt. Messala Corvinus, imperatorem suum Cassium prædicabat: Et uterque opibus atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquavit, quid aliud dictator Cæsar, quàm rescripta oratione, velut apud judices respondit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. Carmina Bibaculi & Catulli, referta contumeliis Cæsarum leguntur. Sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus, & tulere ista & reliquere; *haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. Namque spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur.* Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita: aut si quis advertit, dictis dicta ultus est.

Sed

Sed maxime ſolutum, & ſine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemiſſet. Num cum armatis Caſſio & Bruto, ac Philippenſes campos obtinentibus, belli civilis cauſâ populum per conciones incendo? An illi quidem ſeptuageſimum ante annum perempti, quo modo imaginibus ſuis noſcuntur, quas nec victor quidem abolevit, ſic partem memoriæ apud ſcriptores retinent? *Suum cuique decus poſteritas rependit.* Nec deerunt, ſi damnatio ingruit, qui non modo Caſſii & Bruti, ſed etiam mei meminerint.

ORATIO TIBERII IN SENATU. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Oppreſſa libertate, omnes provinciæ in aſſentationem Cæſarum conſenſerant: & certatim eos honoribus quam ampliſſimis afficiebat. Itaque Hiſpania ulterior delubrum Tiberio & matri eius conſecrare decrevit, & de eo bonore legationem Romam miſit. Tiberius etſi alienum non putabat à potentia ſua conſtituenda, ſi honoribus quam maximis circumflueret, tamen ne ſibi maiorem conflaret invidiam, hunc honorem repudiavit: cauſamque cur id faceret expoſuit in ſenatu. Neque enim abs re id eum facere mirabantur homines, quippe quum non ita multo antè eundem honorem, offerente Aſia, acceperat. Eius orationis hæc eſt fere ſumma. Se, quem in omni vita imitando exprimeret, propoſuiſſe ſibi Auguſtum: ſcire id illum facilitaſſe: mortalem ſortem ſe agnoſcere: immortalitati non poſſe melius conſecrari quam ſi honeſte acta à ſe vita in ſenatus memoria hæreret.

SCIO P. C. conſtantiam meam à pleriſque deſideratam, quod Aſiæ civitatibus nuper idem iſtud petentibus, non ſim adverſatus. Ergo & prioris ſilentii defenſionem, & quid in futurum ſtatuerim, ſimul aperiam. Quum divus Auguſtus ſibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum ſiſti non pro-

prohibuisset; qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum jam exemplum promptius sequutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adjungebatur. Cæterùm, ut semel recepisse, veniam habuerit; ita per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum: & vanesceet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Ego me, P.C. mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit pro sepulchris spernuntur. Proinde socios, cives, & Deos & Deas ipsas precor: hos, ut mihi ad finem usque vitæ, quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos, ut, quandocunque conceſſero, cum laude & bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.

ORATIO
TIBERII. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Ambibat nuptias Liviæ, quæ C. Cæsari, & post eum Druso collocata fuerat, Sejanus homo equestri loco ortus. Qui, qua magna erat apud Tiberum gratia, per eum confici posse negotium putavit: eumque hac de re rogavit. Tiberius, qui Cæsarum splendore indignum hoc matrimonium judicabat, ei dissuadet: atque in eam sententiam hæc cum eo loquitur. Monet ut invidiam fugiat, quæ haud dubie erat inde exoritura, si hic in tantum honorum gradum homo obscurus provectus esset. Illud quoque verendũ esse, ne Liviæ partum hæc conditio cordi sit: Exemplum Augusti refellet quo erat usus Sejanus.

A D

AD ea Tiberius, laudata pietate Sejani, suisque in eum beneficiis modice percursis, quum tempus tanquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. *Ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu; posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet: esse illi matrem & aviam, propriora consilia Simplicius aclurum, de inimicitiis primum Agrippinæ: quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset. Sic quoque erumpere æmulationem fœminarum, eaque discordia nepotes suos convelli.* Quid si intendatur certamen tali coniugio? Falleris enim Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem eius, qui patrem majoresque nostros, in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere, sed illi magistratus & primores qui te invito perrumpunt, omnibusque de rebus consulunt, excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque antisse patris mei amicitias, non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si quum in omnes curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset, C. Proculejum & quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis Reipub. negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Mar. Agrippæ, mox mihi conlocavit? Atque ego hæc, pro amicitia, non occultavi: Cæterum neque tuis neque Liviæ destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitu-

ceſſitudinibus immiſcere te mihi parem, omittam ad præſens referre: Id tantum aperiam, *nihil eſſe tam excelſum, quod non virtutes iſtæ, tuuſque in me animus mereantur*; Datoque tempore vel in ſenatu vel in concione non reticebo.

ORATIO M. TERENTII EQUITIS ROM.

Ex libro VI. Annal.

ARGVMENTVM.

Ælius Seianus eques Rom. ex tenui conditione ad magnas opes pervenerat, maxime per Liviæ nuptias: ſed abuſus erat potentia ad multorum perniciem, & adverſus imperatorem inſidias. Itaque graviſſima accuſatione ad vitæ exitum vocatus eſt. Quo mortuo, multis fraudi fuit illius amicitia, unde factum eſt ut proſe quiſq; illam abiuraret, invidiamque à ſe depelleret. M. Terentius eques Roman. eam, laborantibus & tacentibus multis qui in eadem cauſâ erant, ingenuè confeſſus eſt, factumque ſuum, non Sejanum ipſum, defendit. *Eius igitur hoc in ſenatu oratio fuit, qua docet, caruiſſe crimine ſuam primam cum Seiano conjunctionem: quia nulla dum ſcelerata conſilia eius, aut compertа jam, aut in hominum ſuſpicione, erant.*

FORTUNÆ quidem meæ fortaſſe minus expediat agnoſcere crimen, quàm abnuere. Sed utcunque caſura res eſt; fatebor & fuiſſe me Sejano amicum, & ut eſſem expetiſſe; & poſtquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris regendis prætoriis cohortibus; mox urbis & militiæ munia ſimul obeuntem. Illius propinqui & adfines honoribus augebantur; *Vt quiſque Seiano intimus, ita ad Cæſaris amicitiam validus*: contra quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur. Nec quemquam exemplo adſumo: cunctos qui noviſſimi conſilii expertes fuimus, meo unius diſcrimine defendam. Non enim Seianum Vulſinienſem, ſed Claudiæ & Juliæ do-

mus partem, quas adfinitate occupaverat, tunm, Cæsar, generum, tui consulatus socium, tua officia in Repub. capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. *Tibi summum rerum judicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.* Spectamus porro, quæ coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima juvandi nocendive potentia. quæ Sejano fuisse, nemo negaverit. Abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps: nec ideo assequare. Ne P. C. ultimum Sejani diem, sed sexdecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: *liberis quoque ac jamtoribus eius notescere, pro magnifico accipiebatur.* Quid ergo? Indistincta hæc defensio & promiscua dabitur? Imo justis terminis dividatur. Insidiæ in Rempub, consilia cædis adversum imperatorem, puniantur: de amicitia & officiis idem finis & te, Cæsar, & nos absolverit.

ORATIO
NERONIS CÆSARIS IN SENATU.

Ex libro XI. Annal.

ARGVMENTVM.

Relatum est ad senatum de explendo senatorum numero. Ambibant eum honorem, simul & alios, primarii Galliæ Comatæ viri: de quibus legendis quum ageretur in senatu, bona pars patrum summo studio reclamavit, & in contrariam sententiam varie discesserunt. Cæsar Nero respondit hac oratione, qua conatus est probare non esse alienum aut ab incolumitate aut à dignitate Reipub. honores civitatis ad peregrinos deferri. Nititur potissimùm exemplis ab antiquitate civitatis repetitis, qui peregrini ad honores aspiraßent quos enumerat non paucos, tum singulos homines, tum populos universos qui in civitatem adscripti essent: quos tamen habuisse cives, & honores in eos contulisse, populum Rom. non pœniteret. Antiquissimum quemque patrum

fuisse

fuisse à vicinis populis oriundum, quin fuisse usque ex Hispania cooptatos. Exempla quoque Græcarum civitatum memorat. Ad extremum refellit quod de eius rei, si fieret, insolentia objiciebatur. Oratio est suasoria à jure, consuetudine, utilitate.

MAJORES mei (quorum antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in civitatem Romanam & in familias patriciorum adscitus est) hortantur, uti paribus consiliis Remp. capessam, *transferendo huc quod usquam egregium fuerit.* Neque enim ignoro, Julios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tusculo: & ne vetera scrutemur, Etruriâ Lucaniâque & omni Italiâ in senatum accitos. postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & adversus externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti, quum specie deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos, ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quanquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus *tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Advenæ in nos regnaverunt. Libertinorum filiis magistratus mandari, non ut plerique falluntur, recens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus: scilicet Volsci & Æqui, nunquam adversam nobis aciem struxêre. Capti à Gallis sumus, sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitum jugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatioquàm adversus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris misti,

aurum & opes ſuas inferant potius, quàm ſeparati habeant. Omnia P. C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuere. Plebeji magiſtratus poſt patricios, Latini poſt plebejos, cæterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quoque: & *quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.*

ORATIO

C. CASSII. Ex libro XIV. Annal.

ARGUMENTUM.

Pedanius Secundus, præfectus urbis, ſervi ſui inſidiis domi oppreſſus eſt. Re comperta non de percuſſore modo, ſed etiam de univerſa familia quæ erat ad quadringentos ſervos, ſupplicium ſumi oportebat. Sic enim more maiorum erat comparatum, ut ſi quod eiuſmodi unius inteſtinum facinus extitiſſet, conſervi omnes plecterentur. Miſerta ſervorum plebs Romana voluit eos eripere ſupplicio: ſed bona pars ſenatus acriter reſtitit. Quo in numero fuit C. Caſſius, qui ſententiam rogatus, graviſſime morem majorum defendit. Eius eſt hæc oratio, qua & majorum autoritate & ratione ipſa nixus ſupplicium in totam familiam decernit. Præfatur à conſtantia ſua, in defendendo inſtituto maiorum. Docet ſeveritate ſuppliciorum in ſervos, conſulendum eſſe omnium dominorum ſaluti. Eſſe illud hominum genus & ab ſuſcipiendi audacia & à perpetrati ſceleris occultatione deterrendum: vix dominum ita paucorum tecto ſcelere poſſe interimi, quin id aliis innoteſcat. Poſtremò ſatius eſſe oſtendit ut pauci innocenter pœnas luant, quàm ut eorum impunitate ſceleratorum alatur audacia. Suaſio eſt à jure & neceſſitate.

SÆPENUMERO P. C. in hoc ordine interfui, cum contra inſtituta & leges maiorum nova ſenatus decreta poſtularentur. Neque ſum adverſatus. Non quia dubitarem, ſuper omnibus negotiis melius atque rectius olim proviſum, & quæ converterentur, in deterius mutari; ſed ne nimio amore

amore antiqui moris ſtudium meum extollere videret, ſimul quicquid hoc in nobis autoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, ut maneret integrum, ſi quand Reſpub. conſilii eguiſſet. Quod hodie evenit, conſulari viro domi ſuæ interfecto, per inſidias ſerviles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamvis nondum concuſſo ſenatuſconſulto, quod ſupplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercle impunitatem. At quem dignitas ſua defendet, cum præfectura urbis non profuerit? Quem numerus ſervorum tuebitur, quum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu quidē pericula noſtra advertit? An, (ut quidam fingere non erubeſcunt) injurias ſuas ultus eſt interfector? quia de paterna pecunia tranſegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro, dominū jure cæſum videri. Libet argumenta conquierere in eo, quod ſapientioribus deliberatum eſt. Sed etſi nunc primum ſtatuendum haberemus, creditiſne ſervum interficiendi domini animum ſumſiſſe, ut non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sane conſilium occuluit, telum inter ignaros paravit. Num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſciis? Multa ſceleris indicia præveniunt ſervi. ſi prodant, poſſumus ſinguli inter plures, tuti inter anxios; poſtremo ſi pereundum ſit, non inulti inter nocentes agere. Suſpecta majoribus noſtris fuere ingenia ſervorum, etiam cum in agris aut domibus iiſdem naſcerentur, charitatemque dominorum ſtatim acciperent. Poſtquam vero nationes in familiis habemus, quibus diverſi ritus, externa ſacra, aut nulla ſunt, *colluviem iſtam non niſi metu coërcueris.* At quidam inſontes peribunt. Nam & ex fuſo exercitu, *cum decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur. Ha-*

bet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum quod contra singulos, utilitate publica rependitur.

ORATIO SENECÆ AD CÆSAREM NERONEM, Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Cæsar Nero fuerat educatus & institutus à Seneca, homine bonis artibus erudito: eumque ipso eo nomine observabat. Sed, ut sunt ineuntis ætatis avidæ cupiditates, nec unquam deficiunt principis pestiferi assentatores, habebat suarum libidinum ministros Nero: in his Tigillinum quendam, qui rei suæ augendæ gratia voluptuarium hominem vehementius etiam incendebat, Assentatores, quia videbant obstare suis conatibus, cum à Nerone perceptæ disciplinæ reliquias, tum ipsius Senecæ severitatem, hunc sibi ab imperatore summovendum putant. Itaque eum criminantur apud Neronem. Opes eius immodicas ostendunt, autoritatem carpunt, dotes animi (ut eloquentiam) in deteriorem partem trahunt: præsidia esse potentiæ interpretantur: gravem esse dicunt Neroni magistri severitatem. Senecam nihil horum fugiebat: Neronem convenit, & hac oratione omnes conjectas calumnias diluit. Beneficia imperatoris & præmia accepta commemorat: iis se usum ad vitæ mediocritatem, non ad fastum ostendit. Dedisse operam ut Neronem suæ disciplinæ alumnum quam optimis præceptis imbueret. Opes nullas quæsisse. Quia nulla sua culpa, sed invidorum malevolentia malè audiat, rogat ut bona sua alicui tradantur administranda: sibi verò nihil nisi quod ad honestè degendam vitam requiratur, fruendum concedatur.

QVARTVS DECIMVS annus est Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum, octavus ut imperium obtines: Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, *ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus.* Utar magnis exem-

exemplis nec meæ fortunæ, ſed tuæ. Atavus tuus Auguſtus, M. Agrippæ Mitylenenſe ſecretum; C. Mæcenati, urbe in ipſa, velut peregrinum otium permiſit: Quorum alter bellorum ſocius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, ſed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui quàm *ſtudia*, ut ſic dixerim, *in umbra educata*? è quibus *claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuiſſe videor. grande huius rei pretium.* At tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti, adeo ut plerumque intra meipſum volvam: Egone equeſtri & provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora præferentes, *novitas mea* enituit? *Vbi eſt animus ille modicis contentus*? Tales hortos inſtruit & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatiis, tam lato fœnore exuberat? Una defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed *uterque menſuram implevimus, & tu quantum princeps tribuere amico poſſet, & ego quantum amicus à principe accipere.* Cætera *invidiam augent. quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet*; ſed mihi incumbit mihi ſubveniendum eſt. Quo modo in militia aut via feſſus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitæ, ſenex, & *leviſſimis quoque curis impar*, cum opes meas ultrà ſuſtinere non poſſim, præſidium peto. Jube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor: quod temporis hortorum aut villarum curæ ſeponitur, in animum revocabo. Supereſt tibi robur, & tot per annos nixum faſtigii regimen; poſſumus ſeniores amici, quiete reſpondere. Hoc quoque *in tuam gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe, qui & modica tolerarent.*

RESPONSIO NERONIS AD SENECAM. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Respondet præceptoris defensioni Nero, singula ab illo proposita capita persequens. Institutionis gratam memoriam testatur. Illius causas affert, & consequuta commoda prædicat: beneficentiam suam erga illum extenuat. Invidiæ causas, quæ captabantur, removet, Parcius etiam donatum illum à se quàm pro meritis. Vt vero ipsi bonorum administratione interdicatur, neutri honestum esse ostendit: sibi multo etiam ignominiosius. Pro eo enim habitum iri ac si beneficia collata reposceret.

AVUS meus Augustus Agrippæ & Mæcenati usurpare otium post labores conceſſit; sed in ea ipsa ætate, cujus autoritas tueretur, quicquid illud & qualecunque tribuisset. Attamen neutrum datis à se præmiis exuit. Bello & periculis meruerant! in his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent, in armis agenti: sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis puritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet æterna erunt: Quæ à me habes horti, & fœnus, & villæ, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam *rubori mihi est, quòd* præcipuus charitate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum & tibi valida ætas, rebusque & fructui rerum sufficiens, & nos prima imperii spatia ingredimur: nisi forte aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas; inornatumque robur subsidio impensius regis. Non

tua

tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maximè continentia tua laudetur, *non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere.*

ORATIO
PÆTI TARASEÆ. Ex libro XV. Annal.

ARGVMENTVM.

Funestus fuit immensis supplicijs Neronis principatus: quippe tyrannidem nisi per crudelitatem retineri posse diffidebat. Per ea tempora reus factus est injuriarum Claudius Timarchus Cretensis. Cui invidiam conflavit apud populares præstantia quædam dignitatis, & paulo maior potentia: apud senatum verò Romanum dictum quiddam ab eo confidentius (sic enim interpretabantur) in autoritatem Romanorum. Constabat, dixisse eum, in sua esse potestate ut nullæ agerentur de more gratiæ Cretensi proconsuli. Eum Thrasea hic damnavit sua sententia exilio: dixitque de eadem re deinde copiosius & acerbius, censuitque ut autoritas non senatus modo, sed etiam singulorum qui ad obtinendas provincias mittuntur severitate constitueretur, & retineretur. Peregrinorum licentiam esse coërcendam, ut jus imperii sacrosanctum conservetur.

USV *probatum est*, P. C. *leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni.* Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem; candidatorum ambitus, Julias leges: Magistratuum avaritia, Calpurnia scita, pepererunt. Nam *culpa quàm pœna tempore prior, emendari quàm peccare posterius est.* Ergo adversus novam provinciarum superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelæ sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium judicio esse.

Olim quidem non modo prætor aut consul, sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent, & quid de cujusque obsequio viderentur, referrent. trepidabantque gentes de æstimatione singulorum. At nunc colimus externos & adulamur, & quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur: Decernaturque, & maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi: sed *laus falsa & precibus expressa, perinde cohibeantur, quam malitia, quam crudelitas. Plura sæpe peccantur dum demeremur, quam dum offendimus. Quædam imò virtutes odio sunt, severitas obstinata invictus adversus gratiam animus.* Inde initia magistratuum nostrorum meliora fermè, & finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus. quæ si arceantur, æqualius atque constantius provinciæ regentur. Nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita veritâ gratiarum actione ambitio cohibetur.

ORATIO
CAPITONIS COSSVTIANI, ad Neronem Cæsarem. Ex lib. XVI. Annal.

ARGVMENTVM.

Nero, qua erat crudelitate imbutus, cædem optimi cujusque anhelabat, & illustrissimis de medio sublatis sævire in duos singulari virtute spectatos decreverat Thraseam, Baream Soranum. Habebat administros suarum cupiditatum pestiferos homines, paratos ad illius scelera exequenda: in his Capitonem quendam Cossutianum, qui suo etiam nomine infensus erat Thraseæ. Is commodum sibi ad ulciscendum inimicum, & ad augendam suam apud Neronem gratiam, offerri ratus, sua sponte incensum animum Neronis in hominem innocentem incitavit, multis invidiosè commemoratis, quæ à Thrasea fortiter & severè fiebant in improbanda Neronis libidine & importunitate. Criminatur eum callidus tyranni assentator, quod, per speciem libertatis de-

defendendæ, Cæsari esset inimicus, eiusque autoritem atque adeo majestatem minueret.

T quondam C. Cæsarem, *inquit*, & M. Catonem, ita nunc te Nero & Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. Et habet sectatores, vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque ejus sectantur rigidi & tristes, qui tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas tua sine arte, sine honore. Prosperas principis res spernit: etiam ne luctibus & doloribus non satiatur? Ejusdem animi est, *Poppæam* divam non credere, cujus in acta divi *Augusti* & divi *Iulii* non jurare. Spernit religiones, abrogat leges: Diurna populi Romani per Provincias per exercitus, accuratius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cupientibus auferatur dux & auctor. Ista secta Tuberones & Favonios, veteri quoque Reipub. ingrata nomina genuit. *Vt imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur.* Frustra Cassium amovisti, si glisscere & vigere Brutorum æmulos passurus es. Denique nihil ipse de Thraseâ scripseris, disceptatorem senatum nobis relinque.

ORATIO
GALBÆ IMP. AD PISONEM. Ex primo libro Historiarum.

ARGUMENTUM.

Sergius Galba cæso Nerone imperium occupavit: sed affecta jam erat ætate, & liberos habebat nullos. Ea re despicatui erat non invidis tantum, sed etiam vulgo. Itaque statuit vendicare se ab hoc hominum contemptu, adoptato nobili aliquo & honesto adolescente in spem imperii. Placuit autem illi Piso Licinianus cognomento Frugi, adolescens ab omni laude perfectus. Hunc sibi adoptione adscivit: exposuitque adolescenti beneficium suum, & de eo judicium. Cujus sermonis summam complectitur hac

hac oratione Tacitus: qua Pisoni ius omne & causas adoptionis, rationem & consilium suum exponit Galba, Beneficii magnitudinem ostendit: & quid vicissim ab eo ipse postulet & exspectet. Hortatur ut hanc de se expectationem virtute & honestate omni sustineat atque expleat. Illecebras desciscendi ab officio, quæ sæpe offerantur, ei aperit. Monet se adversus eas muniat, integrumque ab omni labe præstet.

SI te privatus, lege Curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem; & mihi egregium erat tunc Pompeii & M. Crassi sobolem in penates meos adscileere & tibi insigne Sulpitiæ ac Luctatiæ decora nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor patriæ impulit, ut principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum, in proximo sibi fastigio collocavit. *Sed Augustus in domo successorem quæsivit, ego in Repub.* Non quia propinquos aut socios belli non habeam: Sed neque ipse imperium ambitione accepi, & judicii mei documentum sit, non meæ tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed & tuæ. Est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. *Ea ætas tua, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit: ea vita in qua nihil præteritum excusandum habeas.* Fortunam adhuc tantum adversam tulisti. *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant:* quia *miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebas; sed alii per obsequium imminuent.* Irrumpet *adulatio, blanditiæ pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.* Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur;

quimur; cæteri, libentius cum fortuna noſtra, quàm nobiſcum. Nam *ſuadere principi quod oporteat, multi laboris*: Aſſentatio erga principem quemcumque, ſine affectu peragitur, Si immenſum imperii corpus ſtare ac librari ſine rectore poſſet, dignus eram à quo Reſpub. inciperet. Nunc eo neceſſitatis jampridem ventum eſt, ut *nec mea ſenectus conferre plus populo Romano poſſit, quàm bonum ſucceſſorem, nec tua plus juventa quàm bonum principem.* Sub Tiberio, & Caio & Claudio, unius familiæ quaſi hæreditas fuimus: *Loco libertatis, quod eligi cœpimus.* Et finita Juliorum Claudiorumque domo, *optimum quenque adoptio inveniet. Nam generari & naſci à principibus, fortuitum, nec ultrà æſtimatur: adoptandi judicium integrum; & ſi velis eligere, conſenſu monſtratur.* Sit ante oculos Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria cervicibus publicis depulêre. Neque erat adhuc damnati principis exemplum: Nos bello, & ab æſtimantibus adſciti, cum invidia quamvis, egregii erimus. Ne tamen territus fueris ſi duæ legiones in hoc concuſſi orbis motu nondum quieſcunt. Ne ipſe quidem ad ſecuras res acceſſi: & audita adoptione, definam videri ſenex, quod nunc mihi unum objicitur. *Nero à peſſimo quoque ſemper deſiderabitur: mihi ac tibi providendum eſt, ne etiam à bonis deſideretur.* Monere diutius neque temporis huius, & impletum eſt omne conſilium, ſi te bene elegi. Utiliſſimus quidem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus eſt, cogitare quid aut volueris ſub alio principe, aut nolueris. Neque enim hic, ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus & cæteri ſervi: ſed *imperaturus es hominibus qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.*

ORA-

ORATIO PISONIS. Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Quum indies invaleſceret Othonis factio, qui Galbæ adverſabatur, & occupare imperium cogitabat: Galba vero ſe gratia & potentia infringeret, ut jam aperte ab eo populus Romanus deficeret, & ejus adverſario imperium traderet, & ut imperatorem crearet, in raſtra eum raperet, omniaque in civitate tumultuoſa gererentur: Piſo, quem in ſpem imperii Galba adoptaverat, ſtationariam cohortem, quæ in palatio erat præſidii cauſa collocata, ſibi conciliandum & confirmandum putavit, et de conſilii ſententia hac oratione eam eſt affatus. Hic militem demulcere et retinere conatur: idcirco imperatoris & ſuam dignitatem affert in medium. Cui opponit ſordes & intemperantiam Othonis. Agi ipſorum quoque militum ſalutem, & plurimum eorum intereſſe quo principe utantur: nec florere eos poſſe in tanta importunitate adverſariorum.

SEXTVS dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, & ſive optandum hoc nomen ſive timendum erat, Cæſar aſcitus ſum: quo domus noſtræ aut Reipub. fato, in veſtra manu poſitum eſt, non quia, meo nomine, triſtiorem caſum paveam, ut qui adverſa expertus cum maximè, ducam ne ſecunda quidem minus diſcriminis habere: Patris, & ſenatus, & ipſius imperii vicem doleo, ſi nobis aut perire hodie neceſſe eſt; aut, quod æque apud bonos miſerum eſt, occidere. Solatium proximi motus habebamus, incruentam urbem & res ſine diſcordia tranſlatas. Proviſum adoptione videbatur, ut ne poſt Galbam quidem bello locus eſſet. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modeſtiæ. Neque enim relatu virtutum, in comparatione Othonis opus eſt. Vitia, quibus ſolis gloriatur, everte re imperium, etiam quum amicum im-

imperatoris ageret. Habitune & inceſſu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium? *Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Perdere iſte ſciet, donare neſciet*: Stupra nunc, & comeſſationes & fœminarum cœtus, volvit animo. Hæc principatus præmia putat, quorum libido ac voluptas, penes ipſum ſit; rubor ac dedecus, penes omnes. *Nemo enim unquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit.* Galbam conſenſus generis humani, me Galba, conſentientibus vobis, Cæſarem dixit. Si Reſpub. & ſenatus, & populus, vana nomina ſunt: veſtrâ, commilitones, intereſt, ne imperatorem peſſimi faciant. Legionum ſeditio adverſum duces ſuos audita eſt aliquando: veſtra fides famaque, illæſa ad hunc diem manſit. Et Nero quoque vos deſtituit, non vos Neronem. Minus xxx tranſfugæ & deſertores, quos Centurionem aut tribunum ſibi eligentes nemo ferret, imperium aſſignabunt? Admittitis exemplum? & *quieſcendo commune crimen facitis*? Tranſcendet hæc licentia in provincias: & ad nos ſcelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec eſt plus quod pro cæde principis, quàm quod innocentibus datur. Sed proinde à nobis donativum ob fidem, quàm ab aliis pro facinore accipietis.

ORATIO
OTHONIS AD MILITES. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Mortuo Nerone Cæſare duæ erant Romæ factiones de imperatore ſubrogando: Gabam alii, alii Othonem nominabant. Galba potitus eſt imperio, ſtante adhuc in integro adverſario Othone, quem exercitus erat complexus, et ad eum imperium detulerat. Itaque res in ſummam contentionem eſt adducta. Sed quum aliquando falſus nuntius interfectum Othonem Romam attuliſſet, exceptuſque eſſet ſummo plauſu et gratulatione multitudine et totius populi, qui Galbam tuebatur, cœpit vehemen-

mentius ſibi timere Otho. Itaque ut ſibi exercitum conciliaret & fidem illius confirmaret, hanc habuit orationem, qua primum commemorat voluntatem & autoritatem exercitus, qua fuerat ab eo creatus & nominatus imperator. Deinde conqueritur injurias, audaciam, crudelitatem, ſuperbiam adverſarii. Invehitur in illius fautores. Commune eſſe periculum, & in eadem eos eſſe navi oſtendit. Poſtremo ad autoritatem ſuam retinendam & ſalutem vindicandam hortatur: & in hoſtes acuit.

QUIS ad vos proceſſerim, commilitones, dicere non poſſum: quia nec privatum me vocari ſuſtineo, princeps à vobis nominatus, nec principem, alio imperante. Veſtrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorem *populi Romani* in caſtris, an hoſtem habeatis. Auditiſne, ut pœna mea, & ſupplicium veſtrum ſimul poſtulentur? adeo manifeſtum eſt, neque perire nos, neque ſalvos eſſe, niſi unà poſſe. Et cuius levitatis eſt Galba, jam fortaſſe promiſit: aut qui nullo expoſcente, tot millia innocentiſſimorum militum trucidaverit. Horror animum ſubit, quoties recordor feralem introitum, & hanc ſolam Galbæ victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auſpiciis orbem ingreſſus, quam gloriam ad principatum attulit; niſi occiſi Obultronii Sabini, & Cornelii Marcelli in Hiſpania, Vettii Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Marci in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in caſtris? Quæ uſquam provincia, quæ caſtra ſunt, niſi aut cruenta & maculata? aut, ut ipſe prædicat, emendata & correcta? Nam *quæ alii ſcelera, hic remedia vocat*: dum falſis nominibus, *ſeveritatem pro ſævitia, parſimoniam pro avaritia, ſupplicia & contumelias veſtras, diſciplinam appellat.* Septem à Neronis fine menſes ſunt, & jam plus rapuit Icelus quàm quod Polycleti, & Vatinii & Elii,

Elii, paraverunt, Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset. Nunc & subjectos nos habuit tanquam suos, & viles ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod vobis nunquam datur, & quotidie exprobratur. Ac ne qua saltem in successore Galbæ spes esset, accersit ab exilio, quem tristitia & avaritia sui similimum judicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate, etiàm Deos infaustam adoptionem adversantes. Idem senatus, idem populi Romani animus est. Vestra virtus exspectatur: apud quos omne honestis consiliis robur, & sine quibus quamvis egregia invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt: nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Quum vos aspexerit, quum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. *Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.*

ORATIO
OTHONIS AD MILITES. Ex eodem libro.
ARGVMENTVM.

Paucis diebus quam rerum potitus erat in Romano imperio Otho Sylvius, paucorum militum errore, quos inanis suspicio insidiarum terruerat, atrocissima erat in urbe conflata de nocte seditio. Quæ vis, ut re ipsa pro salute imperatoris suscepta erat, cujus vitæ illi metuebant, ita in senatum, à quo vim timebant, intendi putabatur: vel maximè quod armati impetum fecerant in palatium, ubi Otho cum clarissimis senatoribus epulabatur. Qui plurimum sua interesse judicans, ut abesset ab omni iniuria omnique metu senatus, seditionem & in præsentia sedare, & postridie severius coercere conatus est, quum nondum ille ardor penitus deferbuisset. Convocatam igitur multitudinem increpat, sed lenius, quod intelligebat non ad suam perniciem

sed

ſed ad incolumitatem capta eſſe ab illis arma. Docet igitur, quanta ſit culpa in illo militari metu leviſſima de cauſa concitato. Eſſe enim in hominum qui omnium eorum quæ fiunt velint cauſas noſſe et ad ſe revocare. Iura militum oſtendit, et quanta ab illis requiratur modeſtia. Sanctitatem ſenatus inculcat, quæ hoc furore militari attentata eſt. Docet, illius incolumitate imperii ſtabilitatem contineri. Paucos ad pœnam depoſcit, quorum præcipue fuerat in eo motu audacia.

NEQVE ut affectus veſtros in amorem mei accenderem commilitones; neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregiè ſuperſunt) ſed veni poſtulaturus à vobis temperamentum veſtræ fortitudinis, & erga me modum charitatis. Tumultus proximi initium, non cupidine vel odio (quæ multos exercitus in diſcordiam egêre) ac ne detractatione quidem aut formidine periculorum, nimia pietas veſtra acrius quàm conſideratius excitavit. Nam *ſæpe honeſtas rerum cauſas, ni judicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.* Imus ad bellum. Non omnes nuntios palàm audiri, omnia conſilia cunctis præſentibus tractari, ratio rerum, aut occaſionum velocitas patitur: *Tam neſcire quædam milites, quam ſcire oportet. Ita ſe ducum autoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, ut multa etiam per centuriones* tribunoſque tantum juberi expediat. Si ubi jubeantur, quærere ſingulis liceat; *pereunte obſequio, etiam imperium intercidit.* An & illic nocte intempeſta rapientur arma? Unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures conſternatione proxima inſaniſſe crediderim) centurionis ac tribuni ſanguine manus imbuet? Imperatoris ſui tentorium irrumpet? Vos quidem iſtud pro me. Sed in diſcurſu ac tenebris, & rerum omnium confuſione, patefieri occaſio etiam adverſus me poteſt. Si Vitellio & ſatellitibus ejus eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur:

tur : quid aliud quàm seditionem & discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur. hinc confusi pedites equitesque, in exitium ruamus. *Parendo potius*, commilitones, *quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur. Et fortissimus in ipso discrimine* exercitus est, qui *ante discrimen quietissimus:* Vobis arma & animus sit : mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. cæteri abolete memoriam fœdissimæ noctis nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput imperii, & decora omnium provinciarum ad pœnam vocare, non hercle illi, quos nunc maximè Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Ulline Italiæ alumni, & Romana verè juventus, ad sanguinem & cædem deposcerent ordinem, cujus splendore & gloria, sordes & obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet : senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc Resp. inde hostes Reip. constiterint. Quid? vos pulchertimam hanc urbem, domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis? Muta ista & inania intercidere ac reparari promiscuè possunt: Æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus, incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato à parente & conditore urbis nostræ institutum, & à regibus usque ad principes continuum & immortalem, sicut à majoribus accepimus sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.

ORATIO OTHONIS. Ex libro II. Hist.

ARGUMENTUM.

Certabant de imperio Otho & Vitellius, ille de retinendo, hic de occupando. Ad manus ventum est. Victoria penes Vitellum fuit, sed ea minime incruenta. Magnam enim cladem eo prælio deceperat. Itaque rogant

rogant Othonem sui, ne frangatur animo, nec in rebus adversis contrahatur, sed bellum reparet. Non deesse vires; recentes venire legiones: animos vero nusquam alacriores, modo ne ipse despondeat. Otho qui jam de morte consciscenda cogitasset recusat: et causas, cur nolit uti ad hoc eorum obsequio, affert duas. Vnam, quod imperium desperet sibi fore diuturnum: alterum, quod, ut si retineri quidem posse speret, tamen velit civili sanguine & tam fœdis cædibus partium habere. Itaque cedere adversario velle perseverat.

HVNC, *inquit*, primum, hanc virtutem vestram ultro periculis obiicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti invicem sumus, ego ac fortuna ne tempus computaveritis, Difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum à Vitellio cœpit; & ut de principatu certaremus armis, initiũ illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplũ erit. Hinc Othonẽ posteritas æstumet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge liberis: mihi non ultione, neque solatiis opus est. *Alii diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquerit.* An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, & Reipub. eripi patiar? Eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis. Sed este superstites. nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. *Plura de extremis loqui, pars ignaviæ est.* Præcipuum destinationis meæ documentum habete quod de nemine queror; Nam incusare Deos vel homines, eius est, qui vivere velit.

ORATIO MVTIANI, Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Imperabat oppresso Othone Vitellius. Ejus imperium indignè ferebant nobilissimi homines, & ad alium trans-

transferre cupiebant: maxime vero Mutianus magni vir nominis, impulit Vespasianum ad deturbandum Vitellium, & invadendum dominatum. Eius consilii summa hoc oratione est conclusa. Autor est, ei ne tantum labem patiatur imperio Romano inuri, ut illud ad homine indigniſsimo & impuriſsimo teneatur. Tota oratio consistit in causis suscipiendis. & in adjumentis rei perficiendæ, Causas suscipiendi affert: turpitudinem qua contaminatum esset imperium ab homine fœdiſsimo: nobilitatem generis, splendorem, virtutem in Vespasiano, illustres ejus liberos. Imperium Vitellii non tantum ignominiosum esse, sed etiam illis periculosum. Facultates vero perficiendi affert, studium multorum in eum, robur legionum firmiſsimarum.

OMNES qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Reipub. utile, ipsis gloriosum aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum: & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur. Ego te, Vespasiane, ad imperium voco, tam salutare Reipub. quàm tibi magnificum. Juxta Deos, in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris, *à contumelia quam à laude propius fuerit, post Vitellium eligi.* Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautiſsimam Tiberii senectutem; nec contra Caji quidem aut Claudi. vel Neronis, fundatam longo imperio domum exsurgimus! Cessisti etiam Galbæ imaginibus. Torpere ultrà, & polluendam perdendamque Remp. relinquere, sopor & ignavia videretur, etiamsi tibi, quàm inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam & transvectum est tempus, quo posses videri concupisse. Confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? Splendidior origine quàm eos sumus, fateor; Sed & Nero, nobilitate natalium, Vitellium antei-

anteibat *Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur.* Et posse ab exercitu principem fieri, sibi ipse Vitellius documento est, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio provectus. Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, jam desiderabilem & magnum principem fecit. Cum interim spargit legiones; exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat. Siquid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis, & comessationibus, & principis imitatione, deteritur. Tibi è Judæa & Syria & Ægypto novem legiones integræ; nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus usu miles, & belli domitor externi. Classium, alarum, cohortium robora; & fidissimi reges, & tua ante omnes experientia. Nobis nihil ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Cæcinnam numeremur. Nec tamen Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris: Me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam imperii alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Cæterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen, ac periculum, ex æquo partiemur. Imo ut melius est, tu hos exercitus rege; mihi bellum, & præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi, quam victores agunt: Hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit; illi per fastidium & contumaciam hebescunt. Aperiet & recludet contecta & tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. Nec mihi major in tua vigilantiâ parsimonia, sapientiâ, fiducia est, quàm in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. *Sed & meliorum in bello causam, quam in pace habemus.* Nam *qui deliberant, desciverunt.*

ORA-

ORATIO
CVRTII MONTANI. Ex libro IV. Hist.

ARGVMENTVM.

Aquilius Regulus Neroni se ministrum in crudelitate præbuerat, & per eum fuerat eversa Crassorum et Orphitis clarorum hominum domus, quum is crimen illorum, cujus tamen particeps fuerat, detulisset. Inde magna erat ei conflata invidia. Et quum in alios qui ejusdem crudelitatis fuerant animadversum esset, hic quoque reus est factus ab uxore & liberis Crassi. Sed pro eo dicebat frater Vipsanus Messala: & invidiam deprecando jam quodammodo restinxerat. Ibi Curtius Montanus exarsit, & in reum hac oratione vehementissime est invectus, præstitam tyranno operam exaggerans, crudelitatem, rapinas, libidinem, vexationem innocentum, crudelitatem & funestam vocem ad incitandam tyranni sævitiam objiciens, Pestes esse Reipub. & femina tyrannidis id genus homines: ad quæ extirpanda senatum impellit.

OCCVRRIT *truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut, post cædem Galbæ, datam interfectori Pisonis pecuniam à Regulo, appetitumque morsu Pisonis caput objectaret.* Hæc certè, *inquit* Nero non coëgit, nec dignitatem aut ista salutem sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones: qui perdere alios quàm periclitari ipsi maluerunt. Te securum reliquerat exul pater, & divisa inter creditores bona: nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum, cæde nobili imbuisti. cum ex funere Reipublicæ, raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus, et sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas fœminas eadem ruina prosterneres: quum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores

tores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete Patres conscripti, & reservate hominem tam expediti consilii, aut omnis ætas instructa sit & quomodo senes nostri, Marcellum Crispum; iuvenes, Regulum imitentur. *Invenit etiam æmulos infelix nequitia.* Quid si floreat vigeatque: Et quem adhuc quæstorium offendere non audemus, prætorium & consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt: quum interim intestabilior & sævior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea principis ætas, ea moderatio. *Sed diutius durant exempla, quam mores.* Elanguimus, P. C. nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone, delatores & ministros, more maiorum puniendos flagitabat. *Optimus est post malum principem dies primus.*

ORATIO LEGATI TENCTERORVM. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Deleto Romanorum exercitu à Germanis, & depulso eorum iugo initum est consilium à Germanis de Agrippinensi colonia, quæ in Romanorum imperio permanebat, Exscindi eam placebat nonnullis: mitius agendum alii censuerunt, satisque habuerunt eum ad societatem Germanorum revocare. Ex de re missa est ab iis legatio, cuius princeps hanc orationem in illius coloniæ concilio habuit. Gratulatus est illis libertatem: mandata exposuit Germanorum de mœnibus diruendis, Romanorum reliquis tollendis, & eorum bonis publicandis, vectigalibus abrogandis, quæ pensitabant Romani, de commerciis secum communicandis, de institutis Germania restituendis.

REDISSE vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti grates agimus; Vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. nam ad hunc

hunc diem, flumina ac terras, & cœlum quodammodo ipſum, clauſerant Romani: at colloquia congreſſuſque noſtros arcerent; vel, *quod contumeliosius eſt viris ad arma natis, inermes ac proprie nudi, ſub cuſtode & pretio coiremus.* Sed ut amicitia ſocietaſque noſtra, in æternum rata ſint, poſtulamus à vobis, muros coloniæ, munimenta ſervitii, detrahatis. *Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliviſcuntur.* Romanos omnes, in finibus veſtris trucidetis. *Haud facile libertas, & domini miſcentur.* Bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quidquam, aut ſegregare cauſam ſuam poſſit. Liceat nobis vobiſque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris. *Quomodo lucem diemque omnibus, hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Inſtituta cultumque patrium reſumite, abruptis vectigalibus, quibus Romani plus adverſus ſubiectos quam armis valent. Sincerus & integer, & ſervitutis oblitus populus, aut ex equo agetis, aut aliis imperitabitis.

ORATIO AGRIPPINENSIVM. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Reſpondent legatis Romanorum Agrippinenſes, ancipiti ſententia inter metum Germanorum & Romanorum. Itaque eorum quæ illi edixerant, nonnulla concedunt, alia excuſant. In muris opponunt ſecuritutem: in Romanorum cædibus faciendis, conjunctionem & vetuſtatem, & jus conſanguinitatis. De vectigalibus, commerciis & inſtitutis, legati, quæ poſuerant, aſſentiuntur.

QUÆ prima libertatis facultas data eſt, avidius quam cautius ſumpſimus, ut vobis cæteriſq; Germanis conſanguineis noſtris jungeremur. Muros civitatis, congregantibus ſe cum maxime è Romanorũ exercitibus augere nobis quam diruere tutius eſt. Si qui ex Italia aut provinciis alienigenæ in finibus noſtris fuerant eos bellum

absumpsit: vel in suas quisque sedes refugêre. Deductis olim & nobiscum per connubium sociatis, quiq; mox provenere, hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici à nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis. Vectigal & onera commerciorum, resolvimus. Sin transitus incustoditi, sed diurni & inermes: donec nova & recentia jura, in vetustatem & consuetudinem vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Velledam, apud quos pacta sancientur.

ORATIO CERIALIS. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Bellum gerebat adversus Germanos exercitus Romanus nomine & auspiciis Vespasiani Cæsaris. Hujus belli summa penes Petilium Cerialem erat. Desciverant autem ab imperatore legiones aliquot ex Gallis conscriptæ, seque ad hostes contulerant, quorum erant duces Civilis Classicus, & Tutor. Re bene à Cerialí gesta, quamvis debellatum nondum erat, male tamen agebatur cum hostibus. In perfidos & desertores ut animadverteretur plerique urgebant. Lenius tamen Treviros, qui ab hostibus fuerant, accepit Cerialis. Accitæ deinde sunt legiones illæ. Eas magnus supplicii terror invaserat, sed nihil in eas statuendum sibi gravius putavit Cerialis, deditq; facti impunitatem. Verum hac oratione cohortatos est eas ad fidem in Cæsarem constantius in posterum colendam. Belli sas repetiit, ostendit justas, necessarias summa æquitate nixas. Æquitatem & clementiam imperii inculcavit; Officii commonefecit, ut parerent imperio Romano, quod salutare sibi esse intelligerent: quippe in fide essent & tutela Romanorum,

NEQVE ego unquam facundiam exercui, & populi Romani virtutem armis affirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum æstimantur, statui pauca differere, quæ profligato bello, utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse, Terram

ram veſtram cæterorumque Gallorum ingreſſi ſunt duces imperatoreſque Romani nulla cupidine, ſed majoribus veſtris invocantibus, quos *diſcordiæ uſque ad exitium fatigabant*. & acciti auxilio Germani ſociis pariter atq; hoſtibus ſervitutem impoſuerant. Quot præliis adverſus Cymbros Teutonaſque quantis exercituum noſtrorum laboribus, quove eventu Germanica bella tractaverimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum incedimus, ut Italiam tueremur, ſed ne quis alius Arioviſtus regno Galliarum potiretur. An vos chariores Civili Batavisque & Tranſrhenanis gentibus creditis, quam majoribus eorum patres avique veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque avaritia & mutandæ ſedis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum voſque ipſos poſſiderent. Cæterum *libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur*. Nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus concederetis. Nos quanquam toties labeſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cætera in communi ſita ſunt. Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis: Ipſi has aliaſq; provincias regitis, nihil ſeparatum, clauſumve. Et laudatorum principum uſus ex æquo, quamvis proculagentibus: Sævi proximis ingruunt. *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines*: Sed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur niſi forte Tutore & Claſſico regnantibus, moderatius imperium ſperatis aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis) quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud

quam bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque, *compages hæc coaluit*, quæ *convelli sine exitio convellentium non potest*. Sed vobis maximum discrimen, penes quos *aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ*. Proinde pacem & urbem, quam victi victoresque eodem jure obtinemus, amate, colite. *Moneant vos utriusque fortunæ documenta*, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malitis.

ORATIO CIVILIS, SED MUTILATA, Ex lib. v. Hist.

ARGUMENTUM.

Civilis perfuga à Romanis ducem se Batavis adversus Romanos præbuerat. Bellum diuturnum vario eventu gesserat, tamen multo pluribus acceptis cladibus quam illatis. Itaq; attritis Batavorum viribus, Cerialis Romanus dux, flectendos sibi potius ad deditionem subeundam monendo, quam diutius urgendo duxit. Tentavit, & rem confecit. Convenit inter Batavos ut colloquio dies diceretur. Ad quod quū esset ventum, habuit hanc pro se orationem Civilis, cujus tamen bona pars injuria temporum intercidit. Hic purgandi sui causa, aliqua saltem ex parte repetit altius causas belli à se primum susceptæ, ut omnes turpis proditionis avertat à se suspiciones.

SI apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, à me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia: & quum privatus esset, amici vocabamur. Hoc primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes transcenderent. Quæ Antonius absens, Hordeonius Flaccus præsens monebat, arma in Germania movi quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia, Favianus in Pannonia.

Ex

Ex Vita Agricolæ à CORN. TACITO *prodita.*

GALGACI ORATIO

ARGVMENTVM.

Intulit bellum Britannis Iulius Agricola nomine Romani imperatoris. Illi lacessiti ad restinguendum belli incendium magnis animis concurrerunt, ducemque habuerunt nomine Galgacum. Is contractis copiis, cum hoste confligendum censuit: sed prius animos multitudinis oratione esse firmandos. Itaque convocatam suorum concionem hortatus est ut strenue bellum compescerent. Eius tota oratio in eo posita est, ut eos & posse & debere hostem propulsare ostendat: defensionem & facilem esse & necessariam. Idcirco belli æquitatem & necessitatem docet. Invehitur in hostium aviditatem. Sua nisi flagitiose deseri ab ipsis non posse probat. A servitute voluntaria subeunda deterret, idque à dominorum superbia & innata genti illi libertate. Comparatione & exemplis multo infirmiorum quorundam probat, libertatem eos posse à servitute & jugo hostium defendere. Romanorum vires extenuat & contemnit. A vita fortitudine proposita, eos dimittit.

QUOTIES causas belli & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & universi servitutis expertes: nullæ ultra terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. *Ita prælium atque arma quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.* Priores pugnæ quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium

littora aſpicientes, oculos quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniæ patet, atque *omne ignotum pro magnifico eſt*. Sed nulla jam ultra gens, nihil niſi fluctus & ſaxa: Et interiores Romani, quorum ſuperbiam fruſtra per obſequium & modeſtiam effugeris. raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur: Si locuples hoſtis eſt, avari: ſi pauper ambitioſi; quos non oriens, non occidens ſatiaverit: Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt. auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium, Atque ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura cariſſimos eſſe voluit; hi per delectus alibi ſervituri auferuntur. Conjuges ſororeſque, etſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hoſpitum polluuntur. Bona fortunaſque, in tributum egerunt; in annonam, frumentum corpora ipſa ac manus, ſilvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt atque ultro à dominis aluntur. Britannia ſervitutem ſuam quotidie emit, quotidie paſcit. Ac ſicut in familia recentiſſimus quiſque ſervorum & conſervis ludibrio eſt: ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos & viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus ſunt, quibus exercendis reſervemur. *Virtus porro ac ferocia ſubjectorum ingrata imperantibus*. Et longinquitas ac ſecretum ipſum quo tutius, eo ſuſpectius. Ita ſublata ſpe veniæ, tandem ſumite animum, tam quibus ſalus, quam quibus gloria chariſſima eſt. Brigantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare caſtra, ac niſi felicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere jugum potuere nos integri & indomiti, & libertatem non in præſentia laturi, primo ſtatim congreſſu non oſtendimus quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?

An

An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diversissimis gentibus, ut *secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent.* nisi si Gallos & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quam servos, fide & affectu teneri putatis: *Metus & terror est, infirma vincula charitatis, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: Nullæ Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut alia est: Paucos numero circum trepidos ignorantia, cœlum ipsum ac mare & silvas ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos alii nobis tradiderunt. *Ne* terreat vanus aspectus, *& auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat,* In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos cæteri Germani,, tanquam nuper Usipii reliquerunt: Nec quicquam ultra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter male parentes & injuste imperantes, ægra municipia & discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa & metalla, & cæteræ servientium pœnæ quas in æternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, & majores vestros, & posteros cogitate.

ORATIO AGRICOLÆ. Ibidem.

ARGVMENTVM.

Vi suos cohortatione ad pugnam incenderat Galgacus, sic Iulius Agricola, dux Romanorum copiarum, metum & cunctationem omnem eripere suis cohortando conatur. De belli æquitate hoc tantum dicit, fuisse aliquot ante annis commotum & gestum ab iisdem illis militibus: nunc idem redintegratum ge-

ri. Lubet igitur eos parem animorum præsentiam concipere, quam superioribus præliis adversus eosdem hostes attulerint. Admonet pristinæ gloriæ, quæ sit illustranda virtute, non obruenda ignavia. Reliqua est oratio in despiciendis hostibus, quorum infirmas vires ostendit: unde exacuendorum animorum facultatem sumit.

OCTAVUS annus est: commilitones ex quo virtute & auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot præliis seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore pene adversus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus, Inventa Britannia, & subacta. Equidem in agmine, quum vos palludes montesve & flumina fatigarent, fortissimi cujusque vocem audiebam, Quando dabitur hostis? Quando acies? Veniant à latebris suis extrusi. Et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: *sed manus, & arma, & in his omnia.* Quod ad me attinet, jampridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde & *honesta mors turpi vita potior*; & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si novæ gentes atque ignota acies constitissent, aliorum exercituum exemplis vos hortarer, nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii cæterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tamdiu

super-

superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal robore, pavida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi *Britannorum* jampridem ceciderunt; reliquus est numerus ignavorum & metuentium. Quos quod tandem inveniistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi, & extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, Approbate Reipub. nunquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut causas debellandi.

ORATIONES
Ex Q. CVRTIO Collectæ.

ORATIO CHARIDEMI
Ex Libro III.

Charidemus Athenienſis, exulans apud Darium Perſarum Regem, contracto ab eo numeroſo exercitu adverſus Alexandrum Macedonum regem, ſententiam de apparatu univerſo rogatus, liberius quam felicius reſpondet ſibi exercitum illum, etſi numero ſuperiorem, tamen virtute longe inferiorem videri.

VERVM, *inquit*, & tu forsan audire nolis, &, ego, niſi nunc dixero, alias nequaquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium & totius *Orientis* excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilis: Nitet purpura, aurumque fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non ſubiecerint, animis concipere non poſſent. Sed Macedonum acies torva ſane & inculta, clypeis haſtiſque immobiles cuneos, & conſerta robora virorum teget. Ipſi phalangen vocant peditum ſtabile agmen. Vir viro armis arma conſerta ſunt: ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicere. Quod

imperatur, omnes exaudiunt : obſiſtere circuire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. Et ne auri argentique ſtudio teneri putes, adhuc illa *diſciplina paupertate magiſtra* ſtetit. Fatigatis humus cubile eſt : cibus, quem occupati parant, ſatiat. tempora ſomni arctiora quam noctis ſunt. Jam Theſſali equites, & Acarnanes Ætolique, invicta bello manus, fundis (credo) & haſtis igne duratis, repellentur. Pari robore opus eſt. In illa terra, quæ hos genuit, axilia quærenda ſunt. Argentum iſtud atque aurum, ad conducendum militem mitte.

ORATIO.

LEGATORVM DARII ad Alexandrum. Ex lib. IV.

ARGVMENTVM.

Darius, & armis jam duobus prælis ab Alexandro victus, & admiratione virtutis commotus, nuntiata illius humanitate, & lenitate erga captivas mulieres, imprimis vero erga uxorem, cui ille mortuæ non ſecus ac conjugi illacrymarat. legatos ad eum de pace mittit qui æquis conditionibus, ſi ad eas adduci poſſit cum eo tranſigant. Ii ad eum quum veniſſent ad exponendam legationem hac oratione ſunt uſi, qua eum, & blande prolixeque pollicendo, & graviter commonefaciendo, ad pacem flectere ſunt conati.

DARIVM, *inquit*, ut pacem à te jam hoc tertio peterit, nulla vis ſubegit ; ſed juſtitia & continentia tua expreſſit. Matrem, conjugem, liberoſque ejus, niſi quòd ſine illo ſunt, captus eſſe non ſenſit. Pudicitiæ earum, quæ ſuperſunt, curam, *haud ſecus quam* parens agens, reginas appellas, ſpeciem priſtinæ fortunæ retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit quum dimitteremur ab eo : *& ille tamen uxorem, tu hoſtem luges*. Jam in acie ſtares, niſi cura te ſepulturæ ejus moraretur. Ecquid mirum eſt, ſi tam ab amico animo pacem petit ? Quid opus eſt armis, inter quos odia ſublata ſunt ?

sunt? Antea imperio tuo finem destinabat Halym amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quicquid inter Hellespontum & Euphratem est, in dotem filiæ offert, quam tibi tradit. Ochum filium, quem habes, pacis & fidei obsidem retine. Matrem, & duas virgines filias redde. Pro tribus corporibus xxx. millia talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te relinqueris, intuere quantum petas. *Periculosum est prægrave imperium, difficile est continere quod capere non posses. Videsne ut navigia quæ modum excedunt regi nequeant?* Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. *Facilius est quædam vincere, quam tueri.* Quam, hercule, *expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent, Ipsa mors* uxoris Darii te admonere potest, *minus jam misericordiæ tuæ licere,* quam licuit.

ORATIO PARMENIONIS AD ALEXANDRVM.

Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Parmenio magna apud regem gratia constitutus, adhibitus ad regis deliberationem, de legatorum Darii postulatione sententiam dicit, qua Alexandro autor est, ut ad eas pacis conditiones, quas ferebat Darius descendat: pacem bello anteponat: & malit certa præmia à Dario accipere, quam bello majora, at minus certa, quærere.

ANTE fuasissem, *ait,* ut captivos apud Damascum redimentibus redderes. *Ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupaverant manus.* Et nunc magnopere censerem, ut unam anum, & duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millibus talentis auri permutes. *Optimum regnum occupari posse conditione, non bello; nec quenquam alium inter*

Istrum

Istrum & Euphratem possedisse terras, ingenti spatio intervalloque discretas. Macedoniam quoque respiceret, potius, quam Bactra & Indos intueretur.

ORATIO
ALEXANDRI AD LEGATOS DARII
Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Refutato Parmenione, respondet legatis Darii Alexander qui pacis præmia, si pace uti vellet, obtulerant. Ea Alexander omnia & pacis conditiones repudiat duabus de causis: quod Darii insidiis appetitus sit, & quod sua iam, et à se occupata, sibi offerantur. Se ita ab armis discessurum dicit, si ille se, suaque omnia victoris arbitrio dedat.

NUNTIATE Dario gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse. & me, quæ *fecerim clementer & liberaliter, non amicitiæ eius tribuisse, sed naturæ meæ:* nec adversus calamitates sed adversus hostium vires contendere. Bellum cum captivis & fœminis gerere non soleo, armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem bona fide peteret, deliberarē forsitan an darem. Verum enimvero, cum modo milites meos literis ad proditionem, modo amico ad perniciem meam pecunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus est, *non ut justus hostis, sed ut percussor* veneficus. Conditiones vero pacis quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quæ post Euphratem sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe obliti estis, Nam ultra Euphratem sum. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam nempe quam scio alicui servorum ejus nupturam. Multum vero mihi præstat, si me Mazæo generum præponit. Ite, nunciate regi vestro, & quæ adhuc habet, præmia esse belli. Hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ

proximæ lucis assignatura fortuna est; & me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus, & non par mihi vellet haberi, facerem forsitan quæ petit. Cæterum *nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere.* Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi quam expertus est, polliceatur fortunam.

ORATIO
DARII AD MILITES. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Dimicaturus acie jam tertium adversus Macedonas Darius, suos ad prælium præsenti animo capessendum hortatur, propositis iis quæ in deliberando gravissima sunt, salutis conjugum, liberorum, libertatis defensione: de quibus omnibus aut amittendis aut recuperandis hoc prælio decernant. Clades acceptas commemorat, quò illis res redierit ostendit. Et ne superiorum cladium recordatio debilitet animos, extenuat ac despicit virtutem, res gestas, vires Alexandri. Denique mixtis cohortatione precibus eos animat.

TERRARVM, *inquit*, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo antè Domini, jam non de gloria, sed de salute, & (*quod saluti præponitis*) *de libertate* pugnandum est. Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus. In Cilicia victos Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eò, unde pulsis ne fugæ quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt. Non incolas suos urbes, non cultores habent terræ. Conjuges quoque & liberi sequuntur hanc aciem; parata hostibus præda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponitis. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem pene immensa planities vix caperet, comparavi, equos, arma distribui; commeatus

ne tantæ multitudini deesſent, providi. locum, in quo acies explicari poſſet, elegi. Cætera in veſtra poteſtate ſunt: audete modo vincere, *famamque (infirmiſſimum adverſus fortes viros telum)* contemnite. *Temeritas* eſt quam adhuc pro virtute timuiſtis: *quæ ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo, torpet.* Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes abſconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam & exhauſtam. Nam ultimi, quos locavit averſos, terga jam præbent. Obteri mehercule equorum ungulis poſſunt, etiamſi nil præter falcatos currus emiſero: & bello vicerimus, ſi vincimus prœlio. Nam ne illis quidem ad fugam locus eſt. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet incluſos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium converſa ſunt. Noſtrum mobile & expeditum agmen eſt, illud præda grave. Implicatos ergo ſpoliis noſtris trucidabimus: eademque res & cauſa victoriæ erit, & fructus. Quod ſi quem è vobis nomen gentis movet, cogitet Macedonum illic arma eſſe, non corpora. Multum enim ſanguinis invicem hauſimus, & *ſemper gravior in paucitate jactura eſt.* Nam Alexander quantuſcunque ignavis & timidis videri poteſt, unum animal eſt; &, ſi quid mihi creditis, temerarium & vecors, adhuc noſtro pavore, quàm ſua virtute felicius. *Nihil autem poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt oratio.* Licet felicitas adſpirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non ſufficit. Præterea *breves & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget.* Forſitan ita Deorum fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per ccxxx annos ad ſummum faſtigium evexerant, *magno motu concuterent magis quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in proſperis rebus oblivio eſt.* Modo Græcis ultro bellum inferebamus: nunc in ſedibus noſtris propulſamus illatum. Jactamur invicem varietate fortunæ. Videlicet im-

imperium mutuo affectamus, una gens non capit. Cæterum *etiamsi spes non subeſſet, neceſſitas tamen ſtimulare deberet.* Ad extrema perventũ eſt. Matrem meam, duas filias, Ochum in ſpem hujus imperii genitum, illos principes, illam ſobolem regiæ ſtirpis, duces veſtros, regum inſtar vinctos habet: niſi, quod in vobis eſt, ipſe ego majore parte captivus ſum. Eripite viſcera mea ex vinculis, reſtituite mihi pignora, pro quibus ipſe mori non recuſo. Parentem, liberos (nam conjugem in illo carcere amiſi) credite nunc omnes, extendere ad vos manus, implorare patrios Deos, opem veſtram, miſericordiam, fidem expoſcere, ut ſervitute, ut compedibus, ut precario victu ipſos liberetis. An creditis æquo animo iis ſervire, quorum reges eſſe faſtidiunt? Video admoveri hoſtium aciem: ſed quo propius diſcrimen accedo, hoc minus iis quæ dixi, poſſum eſſe contentus. Precor vos per Deos patrios æternumque ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremque ſolis intra fines regni mei Orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydiſque imperium primus in Perſidem intulit, vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Perſarum. Ite alacres & ſpe pleni, ut quam gloriam accepiſtis à majoribus veſtris, poſteris relinquatis. In dextris veſtris jam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis. *Effugit mortem, quiſquis contempſerit: timidiſſimum quenque conſequitur.* Ipſe non patrio more ſolum, ſed etiam, ut conſpici poſſim, curru vehor. *Nec recuſo quo minus* imitemini me; ſive fortitudinis exemplum, ſive ignaviæ fuero.

ORATIO EUCTEMONIS CYNÆI.

Ex libro v.

ARGVMENTVM.

Græci captivi ad quater mille, quum crudeliſſime eſſent à Perſis accepti, & fœda corporum laceratione deturpati, ſe in Alexandri fidem qui tum eas partes vincendo peragrabat, contulerunt, dubii tamen

tamen quid potißimum ab eo contenderent. Qua de re quum anceps eſſet conſilium, aut in iis locis conſidendi, aut patriæ repetendæ, dicte ſunt in utramque partem ſententiæ. Euclemoni huic placet, in iis regionibus habitandi domicilium ab Alexandro poſtulare, tum quia imbecillitas corporum jactationem viæ ferre non poſſet, tum quia ita deformati ne honeſte quidem in ſuorum conſpectum prodire poſſent.

NOS, qui modo ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubuimus, ut nunc ſimplicitas noſtra eſt, ſupplicia, quorum nos pudeat magis, an pœniteat, incertum eſt, oſtentare Græciæ velut lætum ſpectaculum cupimus. *At ii optimè miſerias ferunt, qui abſcondunt: nec ulla eſt tam familiaris infelicibus patria, quàm ſolitudo, & ſtatus prioris oblivio.* Nam *qui multum in ſuorum miſericordia ponunt, ignorant quàm celeriter lacrymæ inareſcant. Nemo fideliter diligit, quem faſtidit*: nam & *calamitas querula eſt, & ſuperba felicitas.* Ita *ſuam quiſque fortunam in conſilio habet, cum de aliena deliberat*: & *niſi mutuò eſſemus miſeri, olim alius alii potuiſſemus eſſe faſtidio.* Quid mirum eſt, fortunatos ſemper parem quærere? Obſecro vos, olim vita defuncti, quæramus locum, in quo hæc ſemeſa membra obruamus, ubi horribiles cicatrices celet exitium. Ingrati prorſus conjugibus, quas juvenes duximus, revertemur. Liberi in flore & ætatis & rerum agnoſcent patres, & fratres, ergaſtuli detrimenta? Et quota pars noſtri tot obire terras poteſt? Procul Europa in ultima Orientis relegati, ſenes, debiles, majore membrorum parte mutilati, tolerabimus ſcilicet quæ armatos & victores fatigaverunt? *Conjuges demum, quas captis ſors & neceſſitas unicum ſolatium applicuit*, parvoſque liberos, trahimus nobiſcum, an relinquimus? Cum his venientes nemo agnoſcere volet. Relinquemus ergo extemplo præſentium pignora, cum incertum ſit,

an

an visuri simus ea quæ petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros nosse cœperunt.

ORATIO THEATI ATHENIENSIS

Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Vltrò citròque, ut diximus, res est inter Græcos agitata. manerent, an patriam reviserent. Contrariæ sententiæ illi superiori autor est Theatus Atheniensis. Profectionem enim suadet posthabita deformitatis illius verecundia, itineris vero laboribus præ desiderio patriæ neglectis, & locorum in quibus essent, feritate proposita. Quamvis autem hæc oratio obliqua sit, quia tamen est ἀντιλογικὴ, respondens, videlicet superiori, non visa est prætereunda.

NEMINEM *pium habitu corporis suos æstimatorum, utiq; sævitia hostis, non natura calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunæ: triste enim de mortalitate ferre sententiam, & desperare misericordiã, quia ipse alteri denegaturus sit. Deos (quod ipsi nunquã ausi optare forent) offerre patriam, conjuges, liberos, & quicquid homines vel vita æstimant, vel morte redimunt: quin illi ex hoc carcere erumperent. Alium domi esse cæli haustum, alium lucis aspectum. mores, sacra, linguæ commercium etiam à barbaris expeti, quæ ingentia ipsi omissuri sint sua sponte, non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis carere coacti essent. Se certè rediturum ad penates, & in patriam, tantoque beneficio regis usurum. Si quos contubernii liberorumque, quos servitus coëgisset agnoscere, amor detineret, relinquerent, quibus nil patria charius est.*

ORATIO DARII I. Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Darius quum jam ter adverso Marte pugnasset, exiguas haberet tantarum cladium reliquias, sed ne satis quidem eas exploratæ fidei, tæderet que eum diuturnæ fugæ, quod in summa rerum desperatione fieri assolet, statuit postremo prælio de

rerum ſumma decernere. Verum quia id non ante poterat, quam ſuorum animos partim tentaſſet, partim confirmaſſet, hac oratione eſt uſus; qua labantes aliorum animos retinere & conciliare, aliorum ægros conſolari, omnium infirmos corroborare conatur. Suadet igitur ut tot calamitates uno vel ſecundo vel adverſo prælio finiant. Sibi quidem certum eſſe oſtendit hoc uno certamine aut emori aut clades acceptas ſarcire.

SI me cum ignavis, *inquit*, & pluris qualemcunque vitam morte honeſta æſtimantibus fortuna junxiſſet, tacerem potius, quàm fruſtra verba conſumerem. ſed majore quam vellem documento, & virtutem veſtram & fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis ſim, quam dubitare an veſtri ſimiles adhuc ſitis. Ex tot millibus, quæ ſub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem perſequuti eſtis. Fides veſtra & conſtantia, ut regem me eſſe credam, facit. Proditores & transfugæ in urbibus meis regnant, non hercule qui tanto honore digni habeantur, ſed ut præmiis eorum veſtri ſolicitentur animi. Meam tamen fortunam quàm victoris maluiſtis ſequi: digniſſimi, quibus ſi ego non poſſim, Dii pro me gratiam referant, & mehercule referent. *Nulla erit tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cœlum vos debitis laudibus ferat.* Itaque, etiamſi conſilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitaſſem, veſtra tamen virtute fretus obviam iſſem hoſti. Quouſque enim in regno exulabo, & per fines imperii mei fugiam externum & advenam regem, cum liceat experto belli fortunam aut reparare quæ amiſi, aut honeſta morte defungi? Niſi fortè ſatius eſt expectare victoris arbitrium, & Mazæi, & Mithrenis exemplo, precarium accipere regnum nationis unius, ut jam malit ille gloriæ ſuæ, quàm iræ obſequi. Nec Dii ſiverint, ut hoc decus mei capitis, aut demere mihi quiſquam, aut condonare poſſit, nec hoc imperium vivus amittam. Idemque

erit

erit regni mei, qui & ſpiritus finis. Si hic animus, ſi hæc lex, nulli non parta libertas eſt: nemo è vobis faſtidium Macedonum, nemo vultum ſuperbum ferre cogetur. Sua cuique dextra aut ultionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem quam verſabilis fortuna ſit, documentum ipſe ſum. Nec immerito mitiores vices ejus expecto. Sed ſi juſta ac pia bella Dii averſantur, fortibus tamen viris licebit honeſte mori. Per ego vos decora majorum, qui totius Orientis regna cum memorabili laude tenuerunt, per illos viros quibus ſtipendium Macedonia quondam tulit, per tot navium claſſes in Græciam miſſas, per tot trophæa regum, oro, & obteſtor, ut nobilitate veſtra gentiſque dignos ſpiritus capiatis, ut eadem conſtantia animorum, qua præterita toleraſtis, experiamini quicquid deinde ſors tulerit. Me certè in perpetuum, aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.

ORATIO NABARZANIS. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Darii orationi qua ſe in aciem deſcendere velle dixit, ab uno Nabarzane, qui inter purpuratos erat, reclamatum eſt. Is enim, ut qui primum regem in vinculis habere, deinde imperii reliquias invadere cum participe ejuſdem ſceleris Beſſo moliretur, hac autem dimicatione conatus ſuos averti videret, regem ab eo conflictu deterrere voluit. Autor igitur eſt Dario perfidioſus ſuaſor ut tantiſper ſe imperio abdicet, dum alter ſuſceptis gubernaculis feliciter rem gerat, & inclinatam reſtituat. Cæterum ad Beſſum, conſcium ſceleris ſatrapen, ſua ſententia ſummam rerum defert.

SCIO me *inquit*, ſententiam eſſe dicturum prima ſpecie haudquaquam auribus tuis gratam: ſed *medici* quoque *graviores morbos aſperis remediis curant*: & *gubernator*, *ubi naufragium rimet*, *jactura*, *quicquid ſervari poteſt*, *redimit*. Ego tamen non ut damnum quidem facias, ſuadeo; ſed ut te ac regnum

regnum tuum ſalubri ratione conſerves. Diis adverſis bellum inimus, & pertinax fortuna Perſas urgere non deſinit. Novis initiis & hominibus opus eſt. Auſpicium & imperium alii trade interim, qui tam diu rex appelletur, donec Aſia decedat hoſtis. Victor deinde regnum tibi reddat: hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra intacta ſunt. Indi & Sagæ in tua poteſtate: tot populi, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renovandum bellum vires paratas habent, ut major belli moles ſuperſit, quàm exhauſta ſit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non neceſſariam? *Fortium virorum eſt, magis mortem contemnere quàm odiſſe vitam. Sæpe tædio laborum ad vilitatem ſui compellantur ignavi*; at *virtus nihil inexpertum omittit* Itaque ultimum omnium mors eſt, ad quam non pigrè ire ſatis eſt. Proinde ſi Bactra, quod tutiſſimum receptaculum eſt, petimus, præfectum regionis ejus Beſſum regem, temporis gratia, ſtatuamus. Compoſitis rebus, juſto regi tibi fiduciarium reſtituet imperium.

ORATIO.

ALEXANDRI. Ex libro VI.

ARGVMENTVM.

Inclinatis jam animis multitudinis ad requietem laborioſæ militiæ optandam, acceſſerat ſparſus ſine autore quidem, ſed ex diuturniorum ſtativorum occaſione excitatus miſſionis rumor. Qui etſi temere percrebuerat, tamen tanta fuerat omnium aviditate acceptus, ut jam totis caſtris à gregariis militibus reditus compararetur. Quæ res non mediocriter Alexandrum vix ea ingreſſum quæ animo & ſpe præceperat, perculit. Itaque proceribus per errorem incuſatis, illis ipſis autoribus vulgus ab eo errore & cupiditate deducere hac oratione ſtatuit. Qua leniter objurgati milites quod immaturum ſuarum victoriarum fructum velint percipere. Duas exponit conſilii ſui cauſas, cur nondum inceptis deſiſtat. Neque quæ parta ſint, retinere poſſe, niſi ſubactis hoſtibus qui ſuperſint: &

his

his domitis, multo uberiores victoriæ fructus ostendi, & seſe offerre. Hæc niſi pacata teneri non poſſe: pacata verò ſecum multo his plura eſſe allatura. Eos præterea ad perſequendas de percuſſoribus Darii pœnas impellit.

MAGNITVDINEM rerum, quas geſſimus, milites, intuentibus vobis, minimè mirum eſt, & deſiderium quietis, & ſatietatem gloriæ occurere; ut omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achæos, Peloponneſum, quorum alia ductu meo, alia imperio auſpicioque perdomui. Ecce orſi bellum ad Helleſpontum, Jonas, Æolidem ſervitio Barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Piſides, Ciliciam, Syriam, Phœnicem, Armeniam, Perſidem, Medos, Parthienem, habemus in poteſtate. Plures provincias complexus ſum, quàm alii urbes ceperunt. & neſcio an enumeranti mihi quaſdam ipſarum rerum multitudo ſubduxerit. Itaque, ſi crederem ſatis certam eſſe poſſeſſionem terrarum quas tanta velocitate domuimus, ego vero, milites, ad penates meos, ad parentem ſororeſque & cæteros cives, vel renitentibus vobis erumperem, ut ibi potiſſimùm parta vobiſcum laude & gloria fruerer, ubi nos uberrima victoriæ præmia exſpectant, liberorum, conjugum, parentumque lætitia, pax, quies: rerum per virtutem partarum ſecura poſſeſſio. Sed in novo & (ſi verum fateri volumus) precario imperio, adhuc jugum eius rigida cervice ſubeuntibus Barbaris, tempore, milite opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur & *efferatos mollior conſuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem ſtatuto tempore exſpectant. adeo etiam illa ſenſus omnes expertia, tamen ſua lege miteſcunt.* Quid? creditis, tot gentes alterius imperio ac nomine aſſuetas non faceris, non moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohærentes, eodem prælio domitas eſſe, quo victæ ſunt? Veſtris armis continentur, non ſuis

ſuis moribus: & qui præſentes metuunt, in abſentia hoſtes erunt. *Cum feris beſtiis res eſt, quas* captus ſed incluſas, *quia ipſarum naturæ non poteſt, longior dies mitigat.* Et adhuc ſic ago? tanquam omnia ſubacta ſint armis, quæ fuerunt in ditione Darii. Hyrcaniam Nabarzanes occupavit. Bactra non poſſidet ſolum parricida Beſſus, ſed etiam minatur. Sogdiani, Dahæ, Maſſagetæ, Sacæ, Indi, ſui juris ſunt, Omnes hi ſimul, ſi terga noſtra viderint, ſequentur. Illi enim ejuſdem nationis ſunt, nos alienigenæ externi. *Suis autem quiquè parent placidius*, etiam cum is præeſt, qui magis timeri poteſt. Proinde aut quæ cœpimus, omittenda ſunt, aut quæ non habemus, occupanda. *Sicut in corporibus ægris, milites, nihil quod nociturum eſt, medici relinquunt; ſic nos, quicquid obſtat imperio, recidamus. Parva ſæpe ſcintilla contempta magnum excitavit incendium. Nil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris, valentiorem negligentia facias.* Ne Darius quidem hæreditarium Perſarum accepit imperium, ſed in ſedem Cyri beneficio Bagohæ caſtrati hominis admiſſus: ne vos magno labore credatis Beſſum vacuum regnum occupaturum. Nos vero peccavimus, milites, ſi Darium ob hoc vicimus, ut *ſervo* ejus traderemus imperium: qui ultimum auſus ſcelus, regem ſuum, etiam externæ opis egentem, certe cui nos victores pepercisſemus, quaſi captivum in vinculis habuit: ad ultimum, ne à nobis conſervari poſſet, occidit. Hunc vos regnare patiemini? *quem equidem crucì affixum videre feſtino, omnibus regibus gentibuſque fidei, quam violavit, meritas pœnas ſolventem.* At hercule, ſi mox eundem Græcorum urbes, aut Helleſpontum vaſtare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Beſſum præmia veſtræ occupaſſe victoriæ? Tunc ad repetendas res feſtinabitis: tunc arma capietis. Quanto autem præſtaret territum adhuc & vix mentis ſuæ compotē opprimere? Quatridui nobis iter ſupereſt, qui tot proculcavimus nives

ves, tot amnes ſuperavimus, tot montiũ juga tranſcurrimus: non mare illud, qd exæſtuans inter fluctib. occupat, euntes nos moratur: non Ciliciæ fauces, & anguſtiæ includunt. plana omnia & prona ſunt. In ipſo limine victoriæ ſtamus Pauci nobis fugitivi, & domini ſui interfectores ſuperſunt. Egregium mehercule opus, & inter præmia gloriæ veſtræ numerandum, poſteritati famæque tradetis: Darii quoque hoſtes, finito poſt mortem ejus odio, parricidas eſſe vos ultos: neminem impium effugiſſe manus veſtras Hoc perpetrato, quanto creditis Perſas obſequentiores fore, cum intellexerint, vos pia bella ſuſcipere, & Beſſi ſceleri non nomini ſuo iraſci?

ORATIO
CRATERI. Ex eodem libro.
ARGVMENTVM.

Macedones aliquot inierant regis ſui de medio tollendi conſilium. Sed re per indices patefacta compreh. nſi ſunt, & oppreſſa conjuratio, Verum quia erant in ea conjuratione aliquot clari & nobiles, noluit Alexander quicquàm in eos niſi ex amicorum ſententia ſtatuere. Ad eos igitur convocatos rem detulit. Ex quibus Craterus in pœnis regi charus ſententiam rogatus cenſuit more majorum in eos eſſe animadvertendum. Nec quia illuſtres eſſent, idcirco dignitati potius eorum quam capiti regis eſſe parcendum. Magnitudinem periculi proponit, & audaciam parricidarum, quæ licentia contagione ſerpet longius niſi in his cohibeatur.

VTINAM, *inquit*, in principio quaque hujus rei nobiſcum deliberaſſes. Suaſiſſemus, ſi Philotæ velles ignoſcere, pateretere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam uſque ad mortis metum adductum cogeres potius de periculo ſuo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim ſemper inſidiari tibi poterit: tu non ſemper Philotæ poteris ignoſcere. Nec eſt quod exiſtimes eum, qui tantum facinus auſus eſt, venia poſſe mutari. Scit eos, qui miſericordiam conſumpſerunt, amplius ſpera-

re

re non posse. At ego, etiam si ipse vel pœnitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inveterata apud milites tuos autoritate haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filii sui debiturum tibi. *Quædam beneficia odimus. Metuisse mortem confiteri pudet.* Supereſt, ut malit videri injuriam accepisse, quàm vitam. Proinde scio, tibi cum illis de salute esse pugnandum. Satis hostium supereſt, ad quos persequendos ituri sumus: Latus à domesticis hostibus muni. Hos si submoveas, nihil metuo ab externo. *Hæc Craterus. Nec cæteri dubitabant, quin conjurationis suppreſsurus non fuisset, nisi autor, aut particeps.* Quem enim pium, & bonæ mentis, non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis quæ ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? nec Ceballini quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipsi nuntiasset. Parmenionis filium præfectum equitatus, omnium arcanorum regis arbitrum simulasse, etiam non vacasse sermoni suo regem, ne index alium internuntium quæreret. Nicomachum religione quoque Deûm adstrictum conscientiam suam exonerare properasse. Philotam consumpto per ludum jocumque penè toto die gravatum esse, pauca verba ad caput regis pertinentia, tam longo & forsitan supervacuo inserere sermoni. At enim si non credidisset talia deferentibus pueris, cur igitur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fidem? Dimittendum fuisse Ceballinum, si dilationem eius damnabat. In suo quemcunque periculo magnum animum habere, cum de salute regis timeretur, credulos esse debere: vana quoque deferentes admittere. *Omnes igitur quæstionem de eo, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse decernunt.*

ORA-

ORATIO ALEXANDRI. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Alexander ex amicorum ſententia compertum ſcelus inteſtinum, quo pene oppreſſus fuerat, ad concionem defert, tum ut ſecundũ multitudinis voluntatẽ quæſtio in conjuratos exerceatur, tum etiam quia illuſtres ſunt: ut illis apud exercitum invidiam conflet, à ſe vero avertat ſi in eos acerbe animadvertet. Hæc igitur oratio primum querelam habet indigniſſimi facinoris comparati à reis conjurationis. Poſt invehitur præcipue in eum qui ſibi patefactum ſcelus ſilentio texerat & foverat: eumque ejuſdem inſimulat criminis.

PENE, *inquit*, milites, paucorum hominum ſcelere vobis ereptus ſum. Deum providentia & miſericordia vivo: conſpectuſque veſter venerabilis coegit, ut vehementius parricidis iraſcerer: quoniam ſpiritus, imo vitæ meæ unus fructus eſt, tot fortiſſimis viris & de me optime meritis referre adhuc gratiam poſſe. *Interrupit orationem militum gemitus, obortæque ſunt omnibus lacrymæ. Tum rex:* Quanto, *inquit*, majorem in animis veſtris motum excitabo, cum tanti ſceleris autores oſtendero quorum mentionem adhuc reformido, & tanquam ſalvi eſſe poſſint, nominibus abſtineo? Sed vincenda eſt memoria priſtinæ charitatis & conjuratio impiorum civium detegenda. Quomodo autem tantum nefas fileam? Parmenio, illa ætate tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetuſtiſſimus, ducem tanto ſceleri ſe præbuit. Miniſter ejus Philotas, Leucolaum, & Demetrium, & hunc Dymnum, cujus corpus aſpicitis, cæteroſque ejuſdem amentiæ comites in caput meum ſubornavit. *Fremitus undique indignantium querentiumque tota concione obſtrepebat, qualis ſolet eſſe multitudinis, & maxime militaris, ubi aut ſtudio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & Metron, & Ceballinus producti, quæ quiſque detulerat*

exponunt: Nullius eorum indicio Philotas in participes sceleris destinabatur. Itaq; indignatione pressa, vox indicum silentio excepta est. Tum rex: Qualis, *inquit* ergo animi vobis videtur, qui hujus rei delatum indicium id ipsum suppressit? quod non fuisse vanum, Dymni exitus declarat. Incertam rem deferens, tormenta non timuit. Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eo, ubi lavabar irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum! Iste regis periculo, cum moneretur, vultum non mutaret? Indicem tantæ rei solicitus non audiret? *Subest nimirum silentio facinus, & avida spes regni præcipitem animum ad ultimum nefas impulit.* Pater Mediæ præest: ipse apud multos copiarum duces meis præpotens viribus majora, quam capit, sperat. Orbitas quoq; mea, quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas: In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo: vobis salvis orbus esse non possum. *Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorum & Philotam scripserat, recitat, haud sane indiciū gravioris consilii præferentem. Namque summa ejus hæc erat. Primum vestri curam agite, deinde vestrorum: sic enim quæ destinavimus, efficiemus. Adjecitque rex, Sic esse scriptam, ut sive ad filios perveniset, à conscio posset intelligi; sive intercepta esset, falleret ignaros.* At enim Dymnus, cum cæteros participes sceleris indicaret. Philotam non nominavit. Hoc quidem illius non *innocentiæ, sed potentiæ indicium est*, quod sic ab iis timetur etiam à quibus prodi potest, ut cum de se fateantur, illum tamen celent. Cæterum Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntæ, qui mihi consobrinus fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparavit insidias socium se & consocium adjunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, cum scripsissem ei pro jure tam familiaris usus atque amicitiæ, qualis sors edita esset Jovis Ammonis oraculo sustinuit

ſtinuit reſcribere mihi, ſe quidem gratulari, quod in numerum deorum receptus eſſem: cæterum miſereri eorum, quibus vivendum eſſet ſub eo, qui modum hominis excederet. Hæc ſunt etiam animi, pridem alienati à me & invidentis gloriæ meæ indicia: quæ quidem, milites, quamdiu licuit, in animo meo preſſi. Videbar enim mihi partem viſcerum meorum abrumpere, ſi, in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed jam non verba punienda ſunt, *linguæ temeritas pervenit ad gladios.* Hos (ſi mihi creditis) Philotas in me acuit, ſi ipſum dimiſero, quo me conferam, milites? cui caput meum credam? Equitatui, optimæ exercitus parti, principibus nobiliſſimæ juventutis unum præfeci: ſalutem, ſpem victoriam meam, fidei ejus tutelæque commiſi: patrem in idem faſtigium, in quo me ipſi poſuiſtis, admovi. *Mediam,* qua nulla opulentior regio eſt, tot civium ſociorumque millia, imperio ejus ditionique ſubjeci. *Vnde præſidium petieram, periculum exiſtit.* Quam feliciter in acie occidiſſem, potius hoſtis præda, quam civis victima; Nunc ſervatus ex periculis, quæ ſola timui, in hæc incidi, quæ timere non debui. Soletis identidem à me, milites, petere, ut ſaluti meæ parcam. Ipſi mihi præſtare poteſtis, quod ſuadetis ut faciã. Ad veſtras manus, ad veſtra arma confugio: invitis vobis ſalvus eſſe nolo: volentibus, non poſſum, niſi vindicor.

ORATIO
PHILOTÆ. Ex eodem libro.
ARGVMENTVM.

Philotas erat clariſsimi Macedonis Parmenionis filius Is non coiverat quidem cum conjuratis illis ut vim regi omnes afferrent: ſed rem ad ſe delatam per indicem, ut modo attigimus, ſilentio præteriit, pollicitus ad regem perlaturum: admonentemque illum & urgentem ut ad regem deferret, eludebat, & aliud ex alio excuſabat. Admonebatur autem hic inſidiarum potiſsimum, quod ex cohorte regia erat; & præter cæteros clarus, magnaque apud Regem gratia. Re

igitur per alios patefacta, primum ad cauſam dicendam eſt accerſitus ad regem ſolutus: poſt conſultus à rege amicis in vincula eſt conjectus & ad concionem productus, gravius etiam quam cæteri eſt ab eo accuſatus: & ex ſilentio conjurationis reus peractus. Admiſſus tamen eſt etiam ad cauſam pro concione dicendam: verum aberat rex cum is pro ſe diceret. Hanc igitur tum pro ſe orationem habuit, qua inficiatur intentum à rege crimen: ſuſpiciones diluit: argumenta conatur refellere: multa quæ in eum erant invidioſe conjecta rejicit. Purgat ſe crimine appetiti dominatus, quo inſimulatus fuerat, & cogitati parricidii in regem. Patrem, qui eadem laborabat invidia, & crimine eodem premebatur, ſed abſens etiam defendit. Vicem illius non minus ac ſuam deflet: quod reus ſit atrociſſimi criminis & particeps acerbiſſimi caſus filii ſui.

VERBA, *inquit, innocenti reperire facile eſt, modum verborum miſero tenere difficile.* Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunã deſtitutus, ignoro quomodo & animo meo & tempori pæram. Abeſt quidem optimus cauſæ meæ judex: qui cur me ipſe audire noluerit, non me hercule excogito, cum illi utique, cognita cauſa, tam damnare me liceat, quam abſolvere: non cognita vero, liberari ab abſente non poſſum, qui à præſente damnatus ſum. Sed quanquam *vincli hominis non ſupervacua ſolum, ſed etiam inviſa defenſio eſt, quæ judicem non docere videtur, ſed arguere:* tamen, utcunque licet dicere, memet ipſe non deſeram, *nec committam* ut damnatus etiam mea ſententia videar. Equidem cujus criminis reus ſim, non video. Inter conjuratos nemo me nominat. De me Nicomachus nihil dixit. Ceballinus plus quam audierat, ſcire non potuit. Atqui conjurationis caput me fuiſſe credit rex. Potuit ergo Dymnus eum præterire, quem ſequebatur? præſ: tim cum quærenti ſocios vel falſo fuerim nominandus;

nandus, quo facilius qui tentabatur posset impelli. Non enim derecto facinore nomen meum præteriit, ut posset videri socio peperciſſe. Nicomachus, quem taciturum arcana de semet ipso credebat, confessus, aliis nominatis me unum subtrahebat. Quæso, commilitones, si Ceballinus me non audisset nihil me de conjuratis scire voluisset: num hodie dicerem causam nullo me nominante? Dymnus sane & vivat adhuc, & velit mihi parcere: quid cæteri, qui de se confitebuntur? me videlicet subtrahent? *Maligna est calamitas, & vere noxia* quum quis suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. Tot conscii ne in equuleum quidem impositi verum fatebuntur? Atqui *nemo parcit morituro, nec cuiquam moriturus*, ut opinor. At verum crimen & ad unum revertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti? cur tam securus audisti? Hoc qualecunque est confesso mihi ubicunque es, Alexander, remisisti: dexteram tuam amplexus reconciliati pignus animi, convivio quoque interfui. Si credidisti mihi, absolutus sum: si perperciſti, dimissus. Vel judicium tuum serva. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum à mensa tua, feci? Quod novum facinus delatum ad te mutavit animum tuum? Gravi sopore acquiescebam, cum me malis indormientem meis inimici vinciendo excitarunt. *Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies somni? Scelerati conscientia obstrepente cum dormire non possint, agitant eos furiæ, non consummato modo, sed & cogitato parricidio.* At mihi *securitatem* primum *innocentia* mea, deinde dextra tua obtulerat. Non timui ne plus alienæ crudelitati apud te liceret, quam clementiæ tuæ. Sed ne te mihi credidisse pœniteat, res ad me deferebatur à puero, qui non testem; non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, si cœpisset audiri. Amatoris & scorti jurgio interponi aures meas credidi infelix, & fidem ejus suspectam habui, quod non ipse deferret,

ſed fratrem potius ſubornaret. *Timui ne negaret* mandaſſe ſe Ceballino, & ego viderer multis amicorum regis fuiſſe periculi cauſa. ſic quoque cum læſerim neminem, inveni qui mallet perire me, quam incolumem eſſe. Quid inimicitiarum creditis accepturum fuiſſe, ſi inſontes laceſſiſſem? At enim Dymnus ſe occidit. Num igitur facturum eumdivinare potui? Minime. Ita quod ſolum indicio fidem fecit, id me quum à Ceballino interpellatus ſum, movere non potuit. At hercule, ſi conſcius Dymno tanti ſceleris fuiſſem, biduo illo proditos eſſe nos, diſſimulare non debui. Ceballinus ipſe tolli de medio nullo negotio potuit. denique poſt delatum indicium quid operiturus eram? cubiculum regis ſolus intravi ferro quidem cinctus. Cur diſtuli facinus? An ſine Dymno non ſum auſus? Ille igitur princeps conjurationis fuit: ſub illius umbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum affecto. Ecquis è vobis corruptus eſt donis? quem ducē, quem præfectum impenſius colui? Mihi quidem objicitur, quod ſocietatem patrii ſermonis aſperner, quod Macedonum mores faſtidiam. Sic ego imperio quod dedignor immineo? Jam pridem nativus ille ſermo commercio aliarum gentium exolevit: tam victoribus quam victis peregrina lingua diſcenda eſt. Non mehercule iſta me magis lædunt, quam quod Amyntas Perdiccæ filius inſidiatus eſt regi cum quo quod amicitia fuerit mihi non recuſo defendere, ſi fratrem regis non oportuit diligi à nobis. Sin autem in illo fortunæ gradu poſitum etiam venerari neceſſe erat, utrum, quæſo, quod non divinavi, reus ſum? An impiorum amicis inſontibus quoque moriendum eſt? Quod ſi æquum eſt, cur tamdiu vivo? ſi injuſtum, cur nunc demum occidor? At enim ſcripſi miſereri me eorum, quibus vivendum eſſet ſub eo, qui ſe Jovis filium crederet. Fides amicitiæ, *veri conſilii periculoſa libertas*, vos me decepiſtis: vos quæ ſentiebam, ne reticerem, impuliſtis. Scripſiſſe me hoc fateor regi, non de rege, *non enim faciebam invidiam*,

diam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Jovis stirpem tacitus agnosceret, quam qui prædicatione jactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit Deus causæ meæ testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur *Hammon*, interim qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo; cum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim tot modo librorum parentem, in unico filio acquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse in rogum meum imponitur. Ergo, charissime pater, & propter me morieris, & mecum. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem adversantibus Diis? An ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent. *Nescio adolescentia mea miserior sit, an senectus tua.* Ego in ipso robore ætatis eripior: tibi carnifex spiritum adimet, quem, si fortuna expectare voluisset, natura reposcebat. Admonuit me patris mei mentio, quam timide & cunctanter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim cum audisset venenum à Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? num ullam autoritatem ejus literæ habuerunt? Ego ipse quoties, quæ audieram, detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si, *& cum indicamus, invisi; & cum tacemus suspecti sumus, quid facere nos oportet?* *Cumque unus è circumstantium turba exclamasset, Bene meritis non insidiari: Philotas*, Recte, *inquit* quisquis es, dicis. Itaque si insidiatus sum, pœnam non deprecor: & finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia sunt visa auribus vestris.

ORATIO AMYNTÆ Ex libro. XII.

ARGVMENTVM.

Amyntas Macedo non fuerat quidem nominatus inter conjuratos neque ab indice neque à reis quum in tormentis essent, sed suspicione urgebatur ob nimiam cum Philota conjunctionem, & quod frater ejus profugerat. Itaque ab rege vinciri jussus necato Philota, productus statim in concionem fuit. Criminii data est cum Philota, arcta necessitudo & recens cum eo congressus, aliquot dictorum procacitas, equi scribæ imperanti ferocius denegati, matris Alexandri ipsius literæ, quibus ut sibi ab hoc caveret filium monebat. Admissus ad causam dicendum Amyntas, diluit ea crimina omnia, sed præposterè, orsus à gravissimo, de iis quæ in regem intemperanter esset debachatus. Defensionis hæc est summa: Procacitatem purgat, excusata impotentia animi & linguæ quam durissimi labores militibus crebrius afferant: conjunctionem cum Philota non excusat, sed siquid est culpæ, eam omnem ab rege dicit sustineri qui hunc ornando, feciſset ut eius amicitiam omnes appeterent. Recusationem equorum confert in penuriam. Suspitiones matris derivat in illius simultatem, quam ipse officiose in regem faciendo in se concitasset. Fugam fratris purgat illius ipsius interventu.

QUALISCVNQVE, *inquit*, exitus non manet, rex confitemur, prosperum tibi debituros, tristiorem fortunæ imputaturos. Sine præiudicio dicimus causam; liberis corporibus animisq; habitum etiam, in quo te commitari solemus rediisti. Causam non possumus, fortunam timere desinemus. Te quæso permittas mihi id primum defendere, quod à te ultimum obiectum est. Nos Rex, sermonis adversus maiestatem tuam habiti nullius conscii sumus nobis. Dicerem jampridem vicisse te invidiam, nisi periculum esset ne alia maligne dicta crederes blanda oratione purgari. Cæterum etiamsi militis

militis tui vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo ægri & vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta, mereueramus fortibus factis ut malles ea tempori nostro imputare, quam animo. *Cum quid accidit tristius, omnes rei sunt*: corporibus nostris, quæ utique non odimus infestas admovemus manus. Parentes liberis si occurrant, & ingrati & invisi sunt. Contra, cum donis honoramur, cum præmiis onusti revertimur, quis ferre nos potest? Quis illam animorum alacritatem continere? *Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapimur*, Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur utcunque præsens movit affectio, modo Indiam adire & Oceanum libet, modo conjugum & liberorum patriæque memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter se colloquentium voces, signum tuba datum finit. In suos ordines quisque currimus, *& quicquid irarum in tabernaculo conceptum est, in hostium effunditur capita*. Utinam Philotas quoque intra verba peccasset. Proinde ad id revertar, propter quod rei sumus. Amicitiam, quæ nobis cum Philota fuit, adeo non inficior, ut expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti, filium, omnes penè amicos tuos dignatione vincentem, cultum à nobis esse miraris? Tu hercule, (si verum audire vis) rex, hujus nobis periculi causa es. quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cujus gratiam expetere, & iram timere possemus. Annon propemodum in tua verba tui omnes te præeunte juravimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes? Hoc sacramento pietatis obstricti adversaremur scilicet quem tu omnibus præferebas? Igitur si hoc crimen est, tu paucos innocentes habes, imo hercule neminem. Omnes enim Philo-

tæ amici esse voluerunt: sed totidem, quod volebant, esse non poterant. Ita si à consciis amicos non dividis, nec ab amicis quidem separabis illos qui idem esse voluerint. Quod igitur conscientiæ affertur indicium? ut opinor, quia pridie familiariter, & sine arbitris loquutus est nobiscum. At ego purgare non possem, si pridie quicquam ex vetere vita ac more mutassem. Nunc vero, si ut omnibus diebus, illo quoque qui suspectus est, fecimus? *consuetudo diluet crimen.* Sed equos Antiphani non dedimus, & pridie quam Philotas detectus est, hæc mihi cum Antiphane res erat. Qui si nos suspectos facere vult, quod illo die equos non dedimus, semetipsum, quod eos desideraverit, purgare non poterit. *Anceps enim crimen est inter retinentem & exigentem, nisi quod melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum.* Cæterum, rex, equos decem habui, è queis Antiphanes octo jam distribuerat iis, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos cum vellet abducere homo superbissimus, certe iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar. Nec inficias eo, liberi hominis animo loquutum esse me cum ignavissimo, & hoc unum militiæ suæ usurpante, ut alienos equos pugnaturis distribuat: *Huc enim malorum ventum est*, ut verba mea eodem tempore & Aleandro excusem, & Antiphani. At hercule mater de nobis inimicis tuis scripsit. Vtinam prudentius esset solicita pro filio, & non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim nou adscribit metus sui causam? Denique non ostendit autorem, quo facto dictove nostro mota, tam trepidas tibi literas scripsit. O miseram conditionem meam, cui forsitan non periculosius est tacere quam dicere. Sed utcunque cessura res est, malo tibi defensionem displicere quam causam. Agnosces autem quæ dicturus sum: quippe meministi, cum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros juvenes in domo tuæ matris absscondi.

ſcondi. Præcepiſti igitur mihi, ne quem præter te intuerer, ſed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius, quam expediebat mihi, exequutus ſum imperium tuum, Gorgiam, & Hecatæum, & Gorgatam, quorum bona opera uteris, inde perduxi. Quid igitur iniquius eſt, quam me qui, ſi tibi non paruiſſem, jure daturus fui pœnas, nunc perire quia parui? Neque enim ulla alia matri tuæ perſequendi nos cauſa eſt, quam quod utilitatem tuam muliebri præpoſuimus gratiæ. VI. millia Macedonum peditum, & D C. equites adduxi: quorum pars ſequutura me non erat, ſi militiam detrectantibus indulgere voluiſſem. Sequitur ergo; ut, quia illa propter hanc cauſam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui iræ ejus nos obtuliſti.

ORATIO.

COBARIS. Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Beſſus Darii percuſſor deliberat inter ſcyphos cum Familiaribus, quemadmodum Alexandro perſequenti reſiſtant. Ipſe ſententiam ſuam aperit, ut fuga ſalutem quærant, ſeque in remotas Aſiæ partes & profundorum fluminum divortiis diviſas abdant, ubi ſe illis naturæ munimentis tueantur. Eunt in hanc ſententiam alii: unus Cobares, ſaniore mente hoc conſilium improbat, & Beſſo autor eſt ut ſe Alexandro dedat & ejus arbitrio permittat. Hoc pacto ſpem affulgere aliquam incolumitatis, quæ in fuga nulla relicta ſit.

NATURA, inquit, *mortalium hoc quoque nomine prava, & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque negotio hebetior eſt quam in alieno. Turbida facta ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent.* Obſtat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor. Nam in te ſuperbia non cadit. Expertus eſt *unumquemque quod ipſe repererit, aut ſolum, aut optimum ducere. Magnum onus* ſuſtines *capite regium inſigne.*

Hoc

Hoc aut moderate perferendum eſt, aut (quod abominor) *in te ruet. Conſilio, non impetu opus eſt.* Adjicit deinde, *quod apud Bactrianos vulgo uſurpabant,* Canē timidū vehementius latrare quam mordere. Altiſſima quæq; flumina minimo ſono labi. *Quæ inſerui ut qualeſcunque inter barbaros potuit eſſe prudentia, traderetur. In his audientium ſuſpenſam dederat expectationem ſui. Tum conſilium aperit, utilius Beſſo, quam gratius.* In veſtibulo, *inquit,* regiæ tuæ velociſſimus conſiſtit rex. Ante ille agmen, quam tu menſam iſtam movebis. Nunc ab Tanai exercitum accerſes, & armis flumina oppones. Scilicet, qua tu fugiturus es hoſtis ſequi non poteſt? *Iter* utrique commune eſt, *victori tutius. Licet ſtrenuum metum putes eſſe, velocior tamen ſpes eſt.* Quin validioris occupas gratiam, dediſque te? Utcunque ceſſerit, meliorem fortunam deditus quam hoſtis, habiturus. Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. Incipies forſitan iuſtus eſſe rex, cum ipſe fecerit, qui tibi & dare poteſt regnum, & eripere. Conſilium habes fidele, quod diutius exequi ſupervacaneum eſt. *Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur; ignavus ne calcari quidem concitari poteſt.*

ORATIO
ALEXANDRI. Ex eodem libro.
ARGUMENTUM.

Alexander parabat expeditionem in Scythas, & Tanaim trajicere cogitabat: ſed vere batur ut hoc conſilium ſatis in vulgus militum probaretur. Invitis autem militibus id tentare ne expedire quidem putabat. Cauſæ cur illi renuerent erant hæ: quod magna ſane moles negotii ſuſpiceretur in Sytharum oppugnatione, & quod verebantur ut ne rex ſatis illam expeditionem obire ipſe per infirmam valetudinem poſſet: quippe vix dum emerſerat ex graviſſimi vulneris periculo. Agit igitur ipſe cum ducibus: quibus in ſuam ſententiam pertractis, non dubitat quin conſilium ſuum militibus quoque probet. Rationem conſilii ſui exponit, non ad imperii tantum ampli-

amplificationem, ſed etiam ad eorum quæ ſubegerit defenſionem, ſibi eſſe Scythas tentandos.

DISCRIMEN, *inquit*, me occupavit, meliore hoſtium, quàm meo tempore. Sed *neceſſitas ante rationem eſt*, maximè in bello, quo raro permittitur tempora eligere. Defecere Bactriani, in quorum cervicibus ſtamus, & quantum in nobis animi ſit, alieno marte experiuntur. Haud dubiè ſi omiſerimus Scythas ultrò arma inferentes, contempti ad illos, qui defecerunt, revertemur. Si verò Tanaim tranſierimus, & ubique invictos eſſe nos Scytharum pernicie ac ſanguine oſtenderimus; quis dubitabit patere etiam Europam victoribus? Fallitur, qui terminos gloriæ noſtræ metitur ſpatio, quod tranſituri ſumus. Unus amnis interfluit: quem ſi trajicimus, in Europam arma proferimus. Et quanti æſtimandum eſt, dum Aſiam ſubigimus, in alio quodammodo orbe trophæa ſtatuere, & quæ tam longo intervallo natura videtur diremiſſe, una victoria ſubito committere? At hercule ſi paululum ceſſaverimus, in tergis noſtris Scythæ hærebunt. An ſoli ſumus qui flumina tranare poſſumus? Multa in noſmet ipſos recident quibus adhuc vicimus; *fortuna belli artem victos quoque docet.* Utribus amnem trajiciendi exemplum fecimus nuper. Hoc ut Scythæ imitari neſciant, Bactriani docebunt. Præterea unus gentis hujus adhuc exercitus venit, cæteri exſpectantur. Ita bellum vitando alemus, & quod inferre poſſemus, accipere cogemur. Manifeſta eſt conſilii mei ratio. Sed an *permiſſuri* ſint Macedones *animo uti meo*, dubito: quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus ſum, non pedibus ingreſſus. Sed *ſi me ſequi vultis, valeo amici.* Satis virium eſt ad toleranda iſta. Aut ſi jam adeſt vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius exſtinguat?

ORA-

ORATIO SCYTHÆ LEGATI. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Alexander habebat in animo, uti diximus, Scythis bellum inferre. Illi non erant nescii: sed colloquio & compositione prius quàm armis bellum propulsare voluerant. Itaque legationem ad Macedonem miserunt, quæ belli illati causas quæreret. Cujus hæc fuit oratio, tota collata ad Alexandrum commonendum, & à temeritate ad moderationem & prudentiam revocandum. Docent igitur legati, Scythas & pacis & belli artes optimè callere. Itaque, hos ut sibi benevolentia adjungat potius quàm ad vim & ad arma vocat admonet. Imbecillam felicitatem & casus ancipites inculcant: multaque in hanc sententiam dicunt. Si debellentur, suam cladem sine ullo regis commodo esse posse, victoriam non sine maximo ejus detrimento.

SI Dii habitum corporis tui, aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc assequutus, scire velles ubi tanti numinis fulgor conderetur. *Sic quoque concupiscis quæ non capis.* Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam. Deinde, si humanum genus omne superaveris, cum silvis, & nivibus, & fluminibus, ferisque bestiis gessurus es bellum. Quid tu? ignoras, *arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur.* Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprenderis, decidas. *Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit: & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido.* Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. *Dona* à nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, *jugum boum, aratrum, & sagitta*

& patera. His utimur & cum amicis, & adversus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæsitas: patera cum iisdem vinum Diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Scythæ regem, & postea Persarum Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Ægyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire; *omnium gentium, quas adisti, latro es.* Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes; Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Jam etiam ad pecora nostra avaras & insatiabiles manus porrigis. *Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt?* Primus omnium *satietate parasti famem, ut, quo plura haberes, acrius, quæ non habes, cuperes.* Non succurrit tibi, quàmdiu circum Bacta hæreas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. *Nam ut major fortiorque sis quàm quisquam; tamen alienigenam dominum pati nemo vult.* Transi modo Tanaim, scies quàm late pateant, nunquam tamen consequeris Scythas. *Paupertas* nostra *velocior* erit *quàm exercitus* tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum solitudines, Græcis etiam proverbiis audio eludi. Nos deserta & humano cultu vacua, magis quam urbes & opulentos agros sequimur. Proinde *fortunam tuam pressis manibus tene: Lubrica est, nec invita teneri potest:* Salubre consilium sequens, quo præsens tempus ostendit melius, *impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges.* Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet. Cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. *sin* autem *homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter quæ tui obliviscerii.* Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti.

Nam

Nam & *firmiſſima eſt inter pares amicitia, & videntur pares, qui non fecerunt inter ſe perculum virium.* Quos viceris, amicos tibi eſſe cave credas. *Inter dominum & ſervum nulla amicitia eſt*: etiam in pace belli tamen jura ſervantur. Juraodo gratiam Scythas ſancite ne credideris: *Colendo fidem jurant.* Græcorum iſta cautio eſt, qui acta conſignant, & Deos invocant: nos religionem in ipſa fide novimus. *Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Nec tibi amico opus eſt, de cujus benevolentia dubites. Cæterum nos & Aſiæ & Europæ cuſtodes habebis. Bactra, niſi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim, uſque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam conjunctam eſſe fama eſt. Utrique imperio tuo finitimos hoſtes an amicos velis eſſe, conſidera.

ORATIO
ALEXANDRI, ad trecentos milites. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

In Sogdianis petra erat expugnatu difficillima. Patebat enim in altitudinem ſtadia 30. in orbem vero 160. undequaque ardua & præruptа, ne callibus quidem ullis pervia. Vnus qui ad cacumen ducebat aditus & anguſtus limes ſub hoſtibus tenebatur. Inſederant enim petram trigenta hominum millia Alexander adverſus impedimenta omnia & naturæ & artificii enitens, ne huic quidem difficultati cedere voluit, & quoniam vis non valuiſſet, dolo ſtatuit aggredi. Hoc igitur commentus eſt ad eludendos hoſtes ſtratagema. Negotium dat ducibus ut trecentos expeditos juvenes conquirant exercitatæ pernicitatis, qui rem pecuariam in montibus exercuerint, ac proinde aſſueverint in præcipitiis & locis deviis inſiſtere. His, terrorem incutere hoſtibus parabat. Qui ut convenerunt, hac oratione quid fieri velit exponit. Rationem illis ad cacumen perveniendi aperit. Hortatur ut ſtrenuè rem aggrediantur, & adverſus omnes difficultates luctentur.

Denique

Denique addit animos propoſitis præmiis ampliſſimis: itaque eos dimittit.

VOBISCUM, *inquit*, ô juvenes, & mei æquales, urbium invictarum antè munimenta ſuperavi: montium juga perenni nive obruta emenſus ſum: anguſtias Ciliciæ intravi: Indiæ ſine laſſitudine vim frigoris ſum perpeſſus. Et mei documenta vobis dedi, & veſtra habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obſident, cætera negligunt. Nullæ vigiliæ ſunt, niſi quæ caſtra noſtra ſpectant. Invenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferenteis ad cacumen. *Nihil tam altè natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.* Experiendo, quæ cæteri deſperaverunt, Aſiam habemus in poteſtate. Evadite in cacumen: quod cum cœperitis, candidis velis ſignum mihi dabitis: ego copiis admotis hoſtem in nos à vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta x. uno minus accipiet, qui proximus ei venerit, eademque ad x. homines ſervabitur portio. Certum habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.

ORATIO CALISTHENIS. Ex libro VIII.

ARGVMENTVM.

Cleo aſſentator Alexandri in convivio ſermonem captato opportuno tempore intulit, non eum quidem præſente rege, ſed cupiente & omnia exaudiente è loco abdito. Ibi ex compoſito ut à rege majorem iniret gratiam, eum laudibus in cœlum cœpit tollere, & divinos honores meritis ejus inter cœnam decernere, obſcureque libertatis defenſores, et nimio regis faſtui infenſos, perſtringere. Eorum facile erat princeps Olynthius Caliſthenes, nobilis, et idem philoſophus, qui tum aſſentatoris levitatem et procacitatem diſſimulare non potuit. Itaque hanc habuit in procerum convivio orationem, qua adulatoris illam cupiditatem notat. Regem nullo modo carpit, ſed tantæ ambitionis

ſuſpicione prudenter liberat, quam illi ſua oratione Cleo affingebat.

SI rex, *inquit*, ſermoni tuo affuiſſet, nullius profecto vox reſponſuri tibi deſideraretur: Ipſe enim peteret, ne in peregrinos ritus degenerare ſe cogeres, neu rebus feliciſſimè geſtis invidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniam abeſt, ego tibi pro illo reſpondeo, *nullum eſſe eundem & diuturnum & præcocem fructum: cæleſteſque honores, non dare te regi, ſed auferre.* Intervallo enim opus eſt, ut credatur Deus, ſemperque hanc gratiam magnis viris poſteri reddunt. Ego autem ſeram immortalitatem precor regi, ut vita diuturna ſit, & æterna majeſtas. *Hominem conſequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas.* Herculem modo & patrem Liberum, conſecratæ immortalitatis exempla, referebas. Crediſne illos unius convivii decreto Deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura eſt, quàm in cœlum fama perveheret. Scilicet ego & tu, Cleo, Deos facimus? A nobis divinitatis ſuæ auctoritatem accepturus eſt rex? Potentiam tuam experiri libet? Fac aliquem regem, ſi Deum potes facere. facilius eſt imperium dare, quàm cœlum, Dii propitii ſine invidia, quæ Cleo dixit, audierint, eodemque curſu, quo fluxere res, ire patiantur. Noſtris moribus velint nos eſſe contentos. Non pudet patriæ, nec deſidero ad quem modum rex mihi colendus ſit, diſcere. Quos equidem victores eſſe confiteor, ſi ab illis leges, queis vivamus, accipiamus.

ORATIO

HERMOLAI. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Hermolaus nobilis adoleſcens ex cohorte regia acerbiore regis animadverſione irritatus, impulſore Soſtrato conſilium regis per inſidias opprimendi cum aliquot conſciis iniit. Statuit dolorem ulciſci ſuum. Res ab indice prolata eſt. Conſcii ſceleris capti, verberibus torti & necati ſunt præter eum qui indi-

cium

cium fecerat. Solus Hermolaus cauſam dicit audiente militum corona. Ejus eſt hæc oratio, qua non inficiatur factum, ſed facti æquitatem defendit. Sibi enim conſtitutum fuiſſe de medio tollere non regem, ſed crudelem & multorum jam cæde contaminatum tyrannum, faſtidioſum, ſuperbum, ſuorum ſanguine et vulneribus gloriam ſibi quærentem, denique indignum, qui ingenuis imperet, et liberorum hominum utatur opera.

NOS vero, *inquit*, quoniam quaſi neſcias quæris, occidendi te conſilium inivimus, quia non ut ingenuis imperare cœpiſti, ſed quaſi in mancipia dominaris. *Primus ex omnibus pater ipſius Sopolis parricidam etiam parentis ſui clamitans eſſe, conſurgit, et ad os manu obiecta, ſcelere et malis inſanientem ultra negat audiendum. Rex, inhibito patre, dicere Hermolaum jubet, quæ ex magiſtro didiciſſet Caliſthene. Et Hermolaus.* Utor, *inquit*, beneficio tuo, & dico quæ noſtris malis didici. Quota pars Macedonum ſævitiæ tuæ ſupereſt? quotus quiſque non è viliſſimo ſanguine? Attalus, & Philotas, & Parmenio, & Lynceſtes Alexander, & Clytus, quantum ad hoſtes pertinet, vivunt; ſtant in acie, te clypeis ſuis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria vulnera accipiunt: quibus tu egregiam gratiam retuliſti. Alius menſam tuam ſanguine ſuo aſperſit. alius ne ſimplici quidem morte defunctus eſt. Duces exercituum tuorum in equuleum impoſiti. Perſis quos vicerant, fuere ſpectaculo. Parmenio, indicta causâ, trucidatus eſt, per quem Attalum occideras. Invicem enim miſerorum uteris manibus ad expetenda ſupplicia. Et quos paulo antè miniſtros cædis habuiſti ſubito ab aliis jubes trucidari. *Obſtrepunt ſubinde cuncti Hermolao. Pater ſupremum ſtrinxerat ferrum, percuſſurus haud dubie, ni inhibitus eſſet à rege: quippe Hermolaum dicere juſſit; petiitque ut cauſas ſupplicii augentem, patienter audirent.* Ægrè ergo coërcitus, *rursus Hermolaus*; Quàm liberaliter, *inquit*, pueris rudibus

ad

ad dicendum agere permittis: at Calisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confessi audiuntur? nempe quia liberam vocem innocentis audire metuis, ac ne vultum quidem pateris. Atqui nihil eum feciſſe contendo. Sunt hic qui mecum rem pulcherrimam cogitaverunt. Nemo est, qui conscium fuisse nobis Calisthenem dicat, cum morti olim destinatus sit à justissimo & patientissimo rege. Hæc ergo sunt Macedonum præmia, quorum ut supervacuo & sordido abuteris sanguine. At tibi xxx millia mulorum captivum aurum vehunt, quum milites nihil domum præter gratuitas cicatrices relaturi sint. Quæ tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, & novo more victores sub jugum mitteres. Persarum te vestis & disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere voluimus: & te transfugam, belli jure, persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. tu Philippum patrem aversaris, & si quis Deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex re, quibus aut insontibus moriendum est, aut, quod tristius morte est, in servitute vivendum? Tu quidem, *si emendari potes, multum mihi debes.* ex me enim scire cœpisti, quid ingenui homines ferre non possunt. De cætero parce, quorum orbam senectutem supplicis ne oneraveris. Nos jube duci, ut quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.

ORATIO ALEXANDRI. Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Patefacta Hermolai conjuratione in Alexandrum, sequebatur ut is perduellionis pœnam subiret & plecteretur. Sed ne indicta causa periret, produci eum ad concionem Alexander voluit. Productus causas susceptæ facinoris protulit has: servitiam regis

gis et supplicia illustrium virorum, sordes atque avaritiam in militibus remunerandis, fastidium ejus et despicatum suorum ad alios ornandos. Objecta hæc partim vitia partim crimina diluit hac oratione Alexander, et ad singula sigillatim respondet. Ad primum, exempla suppliciorum in facinorosos, et eos convictos rerum capitalium, fuisse edita: ad secundum, se suæ liberalitatis locupletes habere testes omnes Macedones, quorum tenuitas in summam opulentiã munificientia sua sit mutata: in tertium, se divinos honores esse aucupatum, ut majorem metum inferret gentibus suo nomine. Quod viro exteras nationes amplexetur, pertinere id ad imperii stabilitatem. Esse enim stabiliora quæ benevolentia continentur, quam quæ metu.

QUAM falsa sint, *inquit*, quæ iste tradita à magistro suo dixit, patientia mea ostender. Confessum enim ultimum facinus, tamen ut vos quoque, non solum ipse, audiretis, expressi non imprudens, cum permisissem huic latroni dicere, usurum eum rabie, qua compulsus est, ut me, quem parentis loco colere debet, vellet occidere. Nuper cum procacius se in venatione gessisset, *more patrio, et ab antiquissimis Macedoniæ regibus usurpato*, castigari eum jussi. Hoc & oportet fieri, & ut à tutoribus pupilli, *à maritis uxores*, servis quoque pueros hujus ætatis verberare concedimus. Hæc est sævitia in ipsum mea, quam impia cæde voluit ulcisci. Nam *in cæteros, qui mihi permittunt uti ingenio meo, quam mitis sim, non ignoratis*, & commemorare supervacuum est. Hermolao parricidarum supplicia non probari, cum eadem ipse meruerit, minimè hercule admiror. Nam cum Parmenionem & Philotam laudat, suæ servit causæ. Lyncestem vero Alexandrum bis insidiarum capiti meo, à duobus judiciis liberari, Rursum convictum, per biennium tamen distuli, donec vos postularetis, ut tandem debito supplicio scelus lueret. Attalum,

lum, antequam rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clytus utinam non coëgisset me sibi irasci: cujus temerariam linguam, probra dicentem mihi, & vobis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tulisset. Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum qui parent, ingeniis sita est. *Obsequio mitigantur imperia. ubi vero reverentia excessit animis, et summa imis confundimus, vi opus est ut vim repellamus.* Sed quid ego mirer istum crudelitatem mihi objecisse, qui avaritiam exprobrare ausus sit? Nolo singulos vestrum excitare, ne invisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro gravem fecero. Totum exercitum aspicite, qui paulo antè nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis. Mensas auro onerant, greges servorum ducunt, spolia de hostibus sustinere non possunt. At enim Persæ, quos vicimus, in magno honore sunt. Apud me quidem *moderationis* meæ *certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbè impero.* Veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem: sed ut illos quoque, quos bello subegissem, victoriæ meæ non pœniteret. Itaque militant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbe habiti, rebellassent. *Non est diuturna possessio, inquam gladio inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna est.* Si habere Asiam, non transire volumus, eum his communicanda est nostra clementia. *Horum fides stabile et æternum faciet imperium*: Et sanè plus habemus quàm cupimus. *Insatiabilis autem avaritia est, adhuc implere velle, quod jam circumfluit.* Veruntamen eorum mores in Macedonas transfundo. In multis enim gentibus esse video quæ non erubescamus imitari. nec alitertantum imperium aptè regi potest, quàm ut quædam & tradamus illis, & ab iisdem discamus. Illud penè dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat à me, ut averterer Jovem, cujus oraculo agnoscor. An etiam quid Dii respondeant,

deant, in mea poteſtate eſt? Obtulit nomen filii mihi: recipere, ipſis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinum Indi quoque Deum eſſe me credant. *Fama enim bella conſtant, et ſæpe etiam quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit.* An me luxuriæ indulgentem putatis arma veſtra auro argentoque adornaſſe? Aſſuetis nihil vilius hac videri materia volui; Macedonas invictos cæteris, nec auro quidem vinci. Oculos ergo primum eorum ſordida omnia & humilia ſpectantium capiam: & docebo nos non auri aut argenti cupidos, ſed orbem terrarum ſubacturos veniſſe. Quam gloriam tu parricida intercipere voluiſti, & Macedonas, rege adempto, devictis gentibus dedere. At nunc mones me, ut veſtris parentibus parcam. Non oportebat quidem vos ſcire, quid de his ſtatuiſſem, quo triſtiores periretis, ſiqua vobis parentum memoria & cura eſt. Sed olim iſtum morem occidendi cum ſceleſtis inſontes, propinquos parenteſque ſolvi: & profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Nam tuum Caliſthenem, cui uni vir videris, quia latro es, ſcio cur produci velis, ut coram his probra, quæ modo in me jeciſti, modo audiſti, illius quoque ore referantur. Quem, ſi Macedo eſſet, tecum introduxiſſem, digniſſimum te diſcipulo magiſtrum, nunc Olynthio non idem juris eſt.

ORATIO
ALEXANDRI AD MILITES. Ex libro IX.
ARGVMENTVM.

Alexander longa jam terrarum ſpatia vincendo emenſus, nondum tamen ad metã aſpiraverat quam laboribus ſuis propoſuerat, & plura animo erat complexus. Habebat enim in animo non prius conquieſcere quàm ad Oceanum Indicum victor perveniſſet, ut idem limes ſuas victorias, & orbem terrarum definiret. Sed ſciebat non eſſe eundem animum ſuũ; neque id illi obſcure ferebant. Non

ignorabat quin eo tædium laborioſæ et tam diuturnæ militiæ expiſſet. Itaque relangueſcentes animos conatur hac oratione inſtaurare et revocare. Commemorat res geſtas: et præ his reliquias quæ ſuperſunt, nihili eſſe faciendas oſtendit. Vix aliud reſtare niſi ut reliquias ſuarum victoriarum perſequantur. Labores qui adeundi relinquantur, eſſe leves et breves: præmia verò ampliſſima et perpetua. Ad extremum quum videret eos penitus deſpondiſſe animos, nec ullam vocem mittere teſtem ſuæ comprobationis, vehementi utitur querela, qua ſuorum ignaviam incuſat.

NON ignoro, milites, multa, quæ terrere vos poſſent, ab incolis Indiæ per hos dies de induſtria eſſe jactata. Sed non eſt improviſa nobis mentientium vanitas. Sic Ciliciæ fauces, ſic Meſopotamiæ campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterum vado tranſivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Perſæ. *Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illa tragente majora ſunt vero.* Noſtra quoque gloria cum ſit ex ſolido, plus tamen habet nominis quàm operis. Modo quis belluas offerentes mœnium ſpeciem, quis Hydaſpen amnem, quis cætera auditu majora quàm vero ſuſtinere poſſe credebat? Olim hercule fugiſſemus ex Aſia, ſi nos fabulæ debellare potuiſſent. Creditiſne elephantorum greges majores eſſe quàm uſquam armentorum ſunt: cum & rarum ſit animal, nec facilè capiatur, multoque difficilius mitigetur? Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit. Nam *flumen quo latius fuſum eſt, hoc placidius ſtagnat*; quippe anguſtis ripis coercita, & in anguſtiorum alveum eliſa, torrentes aquas invehunt: contrà ſpatio alvei ſegnior curſus eſt. Præterea in ripa omne periculum eſt, ubi applicantes navigia hoſtis expectat. Ita quantumcunque flumen intervenit, idem futurum diſcrimen eſt evadentium in terram. Sed omnia iſta vera eſſe fingamus. Utrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hoſtium

hoſtium terret? Quod pertinet ad elephantos, præſens habemus exemplum: in ſuos vehementius quam in nos incurrerunt. Tam vaſta corpora ſecuribus falcibuſque mutilata ſunt. Quid autem intereſt, totidem, ſint, quot Porus habuit, an tria millia, cum uno aut altero vulneratis, cæteros in fugam declinare videamus? Deinde paucos quoque incommode regunt: congregata vero tot millia ipſa ſe elidunt, ubi nec ſtare, nec fugere potuerint inhabiles vaſtorum corporum moles. Equidem ſic animalia iſta contempſi, ut cum haberem, ipſe non oppoſuerim: ſatis gnarus, plus ſuis quam hoſtibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet. Cum paucis enim pugnare ſoliti eſtis, & nunc primum inconditam ſuſtinebitis turbam. Teſtis adverſus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis & Cilicia inundata cruore Perſarum, & Arbella cujus campi devictorum à nobis oſſibus ſtrati ſunt. Sero hoſtium legiones numerare cœpiſtis, poſteaquam ſolitudinem in Aſia vincendo feciſtis. Cum per Helleſpontum navigaremus, de paucitate noſtra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ ſequuntur, Bactriana auxilia præſto ſunt. Dahæ, Sogdianique inter nos millitant. Nec tamen illi turbæ confido. Veſtras manus intueor; veſtram virtutem, rerum quas geſturus ſum, vadem, præſidemque habeo. Quamdiu vobiſcum in acie ſtabo, nec mei nec hoſtium exercitus meminero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus. Pervenimus ad Solis ortum, & oceanum, niſi obſtat ignavia inde victores perdomito fine terrarum, revetteur in patriam. *Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus.* Majora ſunt periculis præmia. *Dives eadem & imbellis eſt regio.* Itaque non tam ad gloriam vos duco quàm ad prædam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus inve-

hit, referatis in patriam. digni, qui nihil inexper-tum, nihil metu omissum relinquatis per vos, glo-riamque vestram, qua humanum fastigium creditis, perque & mea in vos, & in me vestra merita, qui-bus invicti contendimus oro, quæsoque, ne huma-narum rerum terminos adeuntem, alumnum com-militonemque vestrum; ne dicam regem, defera-tis. Cætera vobis imperavi, hoc unum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim, qui sæpe aciem clypeo meo texi, non infringeretis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberum-que patrem, si invidia abfuerit, æquabo. Date *hoc præcibus meis.* & tandem obstinatum silentii rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestræ index? Ubi est ille meorum Macedonum vultus: non agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis. Surdas jamdudum aures pulso, aversos ani-mos & infractos excitare conor. *Cumque illi in ter-ram dimissis capitibus tacere perseverarent:* Nescio quid; *inquit,* imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi vi-deor esse. Nemo respondit, nemo saltem negat quos alloquor. Quid autem postulo? vestram glori-am, & magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contendentium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sed so-lus quoque ire perseverabo. Objicite me flumini-bus & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam qui desertum à vobis sequantur. Scythæ Bactrianiq; erunt mecum, hostes paulo an-te, nunc milites nostri. *Mori præstat quam pre-cario imperatorem esse.* Ite reduces domos, ite de-serto rege ovantes. Ego hic à vobis desperatæ victo-riæ, aut honestæ morti locum inveniam.

ORATIO

COENI AD ALEXANDRUM. Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Con

Conſternata concione ad proximam Alexandri orationem, & pertinaciter tacente, quod nec aſſentiri regi vellent, nec præcisè denegare auderent, nec ullus communem cauſam publice ſuſciperet Cœnus unus ducum proceſsit in medium, & regem omnium verbis rogavit, ut parceret defatigationi & imbecillitati omnium ſuorum, qui tot laboribus exhauſti non poſſent militiæ moleſtias tolerare, præſertim cum ſe infinitus oſtenderet labor, ſi ea loca peteret. Servire illum ſuæ gloriæ non poſſe incolumi exercitu quem tot annorum difficultates attriviſſent.

DI I prohibeant, *inquit*, à nobis impias mentes & profecto prohibent. Idem animus eſt tuis qui fuit ſemper, ire quo juſſeris, pugnare, periclitari, ſanguine noſtro commendare poſteritati tuum nomen. Proinde ſi perſeveras, inermes quoque, & nudi, & exangues, utcunque tibi cordi eſt, ſequimur, vel antecedimus. Sed ſi audire vis non fictas tuorum militum voces, rerum neceſſitate ultima expreſſas, præbe, quæſo, propitias aures, imperium atque auſpicium tuum conſtantiſſime ſequutis, & quocunque pergis ſequuturis. *Viciſti*, rex, *magnitudine rerum non hoſtes modo ſed etiam milites.* Quicquid mortalitas capere poterat, implevimus. Emenſis maria terraſque melius nobis, quam incolis omnia nota ſunt. Pene in ultimo mundi fine conſiſtimus: in aliam orbem paras ire, & Indiam quæris Indis quoque ignotam. Inter feras ſerpenteſque degentes eruere ex latebris & cubilibus ſuis expetis, ut plura quam ſol videt, victoria luſtres. Digna prorſus cogitatio animo tuo, ſed altior noſtro. Virtus enim tua ſemper in incremento erit, noſtra vis in fine jam eſt. Intuere corpora exanguia, tot perfeſſa vulneribus, tot cicatricibus putrida. Jam tela hebetia ſunt, jam arma deficiunt. Veſtem Perſicam induimus, quia domeſtica ſubvehi non poteſt. in externum degeneravimus cultum. Quoto cuiq, lorica eſt? quis equum habet?

Jube quæri quam multos ſervi ipſorum proſequuti ſunt, quid cuique ſuperſit ex præda. *Omnium victores, omnium inopes ſumus.* nec luxuria laboramus, ſed bello. Inſtrumenta belli conſumpſimus, hunc tu pulcherrimum exercitum nudum objicies belluis? Quarum ut multitudinem augeant de induſtria barbari magnum tamen eſſe numerum etiam ex mendacio intelligo. Quod ſi adhuc penetrare in Indiam certum eſt, regio à meridie minus vaſta eſt. Qua ſubacta, licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit eſſe natura. Cur circuitu petis gloriam, quæ ad manum poſita eſt? Hic quoque occurrit Oceanus; niſi mavis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. Hæc tecum, quam ſine te cum his, loqui malui: non ut inirem circumſtantiis exercitus gratiam, ſed ut vocem loquentium potius quam ut gemitum murmurantium audires.

ORATIO CRATERI Ad ALEXAND.

Ex eodem libro

ARGVMENTVM.

Alexander ex graviſſimo vulnere, & proprie lethali in Oxidacarum oppugnatione accepto convaluerat. Sed quum eſſet infirmior, nec per imbecillitatem uſitata munia tuto obire poſſet, & tamen conaretur, neque omnino valetudini indulgeret, magnumque eſſet ab ea audacia periculum, amici quibus de more ſtatio pro prætorio erat, rogandi regis has partes tribuerant Cratero, ut is ſibi parceret. Qui cum illis ingreſſus, regi expoſuit quam omnes eſſent de ejus ſalute ſolliciti, Ea anxietate ita ſe levari poſſe, ſi rex ſe ipſe reſpiceret, nec ita præſentia pericula ſubiret, præſertim tenuioribus victoriæ præmiis propoſitis. Pollicetur ab omnibus paratam & ſtrenuam operam. Omnia enim omnes, ne ille in apertum diſcrimen abducatur, eſſe facturos.

CREDISNE, *inquit*, adventu magis hoſtium, ut jam in vallo conſiſterent, quam cura ſalutis tuæ ut nunc eſt tibi vilis, nos eſſe ſolicitos? Quantalibet

talibet vis omnium gentium conſpiret in nos, impleat armis viriſque totum orbem, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat, tu nos præſtabis invictos. Sed quis Deorum hoc Macedoniæ columen ac ſidus diuturnum fore polliceri poteſt? cum tam avide manifeſtis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in caſum? Quis enim tibi ſuperſtes aut optat eſſe, aut poteſt? Eo pervenimus, auſpicium atque imperium ſequuti tuum, unde niſi te reduce, nulli ad penates ſuos iter eſt. Qui ſi adhuc de Perſidis regno cum Dario dimicares etſi nemo vellet, tamen ne admirari quidem poſſet tam promptæ eſſe te ad omne diſcrimen audaciæ. Nam *ubi paria ſunt periculum ac præmium, & ſecundis rebus amplior fructus eſt, & adverſis ſolatium majus.* Tuo vero capite ignobilem vicum emi, quis ferat non tuorum modo militum, ſed ullius etiam gentis barbaræ, qui tuam magnitudinem novit? Horret animus cogitatione rei, quam paulo ante vidimus. Eloqui timeo, invicti corporis ſpoliis inertiſſimas manus fuiſſe injecturas, niſi te interceptum miſericors in nos fortuna ſervaſſet. Totidem proditores, totidem deſertores ſumus, quot te non potuimus perſequi. Univerſos licet milites ignomina notes nemo recuſabit luere id, quod ne admitteret, præſtare non potuit. Patere, nos, quæſo, alio modo eſſe viles tibi. Quocunque juſſeris, ibimus; Obſcura bella, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus. Temet ipſum ad ea ſerva pericula quæ magnitudinem tuam capiunt. *Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus: nec quidquam indignius eſt, quàm conſumi eam, ubi non poſſit oſtendi.*

ORATIO ALEXANDRI AD AMICOS

Ex eodem libro.

ARGUMENTUM.

Reſpondet ad amicorum poſtulationē Alexander, Voluntatem plenam pietatis, obſequii ac benevolentiæ

amplexatur. Eum ſibi eſſe vitæ fructum docet, quod tam benevolis & fidelibus comitibus uti ſibi contingat. Quod vero de periculis vitandis dixiſſent, ita ſe interpretari, & de eo ita cogitare, ut quum gloriam inprimis adamarit, ut præ ea cætera nihili pendat, certum ſibi ſit, pro ea retinenda atque augenda, nullos labores, nulla pericula ſubterfugere. Quos habeat ſtimulos ad eam appetendam, exponit. Proinde ſe gloriæ non autem valetudinis & vitæ rationem habere velle, Monet ut ii ſuam illam ſolicitudinem ut inteſtinarum inſidiarum propulſationem convertant. Hanc ſibi eſſe antiquiorem cautionem, & ipſis eſſe debere. Ad extremum aliquid de matris Apotheoſi mandat.

VOBIS quidem, *inquit*, ô fidiſſimi, piiſſimique civium, atque amicorum, grates ago, habeoque, non ſolum eo nomine, quod hodie ſalutem meam veſtræ præponi tis, ſed quod à primordiis belli nullum erga me benevolentiæ pignus atque indicium omiſiſtis: adeo ut confitendum ſit, nunquam mihi vitam meam fuiſſe tam charam, quam eſſe cœpit, ut vobis diu frui poſſim. Cæterum non eadem eſt cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea; qui quidem hanc benevolentiam veſtram virtute meruiſſe me judico. Vos enim dluturnum fructum ex me, forſitan etiam perpetuum, percipere cupitis. *Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed gloria.* Licuit paternis opibus contento, intra Macedoniæ terminos per otium corporis expectare obſcuram & ignobilem ſenectutem. Quanquam *ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes, ſæpe acerba mora occupat.* Verum ego, qui non annos meos ſed victorias numero, ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi. Orſus à Macedonia imperium, Græciam teneo: Thraciam, & Illyricos ſubegi. Triballis, Mediſque imperito: Aſiam, qua Helleſponto, qua rubro mari alluitur, poſſideo. Jamque haud procul abſum à fine mundi. Quem egreſſus *aliam*

naturam

naturam, aliumorbem aperire mihi ſtatui. Ex Aſia in Europæ terminos momento unius horæ tranſivi. Victor utriuſque regionis poſt nonum regni mei, poſt viceſimum atque octavum ætatis annum, videorne vobis in excolenda gloria, cui me uni devovi, poſſe ceſſare? Ego vero non deero, & ubicunque pugnabo, *in theatro terrarum orbis* eſſe me credam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis. Aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longè ſubmoverat. *In his operibus extingui mihi* (ſi fors ita feret) *pulchrum eſt.* Ea ſtirpe ſum genitus, ut *multam prius quam longam vitam* debeam optare. Obſecro vos, cogitate nos perveniſſe in terras, quibus fœminæ ob virtutem celeberrimum nomen eſt. Quas urbes Semiramis condidit? quas gentes redegit in poteſtatem? quanta opera molita eſt? *Nondum fœminam æquavimus gloria & jam nos laudis ſatietas cepit?* Dii faveant, majora adhuc reſtant. Sed ita noſtra erunt quæ nondum attigimus, ſi nihil parvum duxerimus in quo magnæ gloriæ locus eſt. Vos modo me ab inteſtina fraude, & domeſticorum inſidiis præſtate ſecurum. Belli Martiſque crimen impavidus ſubibo. *Philippus in acie tutior quam in theatro fuit. Hoſtium manus ſæpe vitavit, ſuorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus ſi reputaveritis, plures à ſuis quam ab hoſte interemptos numerabitis.* Cæterum quoniam olim rei agitatæ in animo meo, nunc promendæ occaſio oblata eſt: mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, ſi *Olympias mater immortalitati conſecretur*, quandocunque exceſſerit vita. Hoc ſi licuerit, ipſe præſtabo. ſi me præceperit fatum, vobis mandaſſe mementote.

ORATIO ALEXANDRI AD MILITES. Ex libro x.

ARGVMENTVM.

Alexander miſſionem daturus erat militibus, qui per ætatem emeriti eſſent, aut qui omnino, per infirmitatem corporum militiæ labores ſuſtinere non poſ-

sent: eam sperabant universi. Et quia tum longe in orientem processerat; veriti ne sedem imperii in Asia constitueret, quæ res optatam illis in patriam reversionem eriperet, missionem omnes audacius & tumultuosius flagitare cœperunt, & jam apertè impositos militiæ labores detrectare, Alexander eorum motuum insolens, ut qui alacri eorum semper opera & parata usus esset, tum commotus est. Augebat indignationẽ oblivio recentis suæ erga eos liberalitatis. Nam magnam vim auri ad eos ære alieno liberandos effuderat. Hac igitur oratione coercere illorum ferociam conatur. Commemorat sua erga eos beneficia, quorum eos oblivio ceperat. Quantum obsequium à militibus requiratur, ostendit, Indignos esse opibus & gloria quam secum habent communem. Ad extremum exardescit ira, & eorum operam repudiat.

QUID hæc, *inquit* repens consternatio, & tam procax atque effusa licentia denuntiat? Eloqui timeo: palam certe rupistis imperium, & precario rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendique, aut intuendi vos jus reliquistis. Equidẽ cum alios dimittere in patriam alios mecum paulo post deportare statuerim, tam illos acclamantes video qui abituri sunt, quam hos cum, quibus præmissos subsequi statui. Quid hoc est rei? Dispari in causa idem omnium clamor est. Pervelim scire, utrum qui discedunt an qui retinentur, de me querantur. *Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem: Ita pariter ex tota concione responsum est, Omnes queri. Tum ille.* Non hercule, *inquit*, potest fieri, ut adducar querendi simul omnibus hanc causam esse, quam ostenditis, in qua major pars exercitus non est, utpote cum plures dimiserim, quam retenturus sum. Subest nimirum, altius malum, quod omnes avertit à me. Quando enim regem universus exercitus deseruit? Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos: sed est quidem in illis pudor à cæteris destitutos relinquendi. Verum

ego

ego tam furiosæ consternationis oblitus, remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem hercule spem, quam ex vobis conceperam, damno nec ut cum militibus meis (jam enim esse desistitis) sed ut cum ingratissimis oportet, agere decrevi. Secundis rebus quæ circumfluunt vos insanire cœpistis: obliti status ejus, quem beneficio exuistis meo. Digni hercule qui in eodem consenescatis: quoniam facilius est vobis adversam quam secundam regere fortunam. Et tandem Illyriorum paulo ante & Persarum tributariis, Asia & tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordent. Aurum & argentum oculi ferre non possunt. Lignea enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, & quingenta talenta æris alieni cum omnis regia supellex haud ampliusquam sexaginta talentorũ esset, meorum operum fundamenta, quibus tamen (absit invidia) imperium maximæ, terrarum partis imposui. Asiæne pertæsum est, quæ vos gloria rerum gestarum Diis pares fecit? In Europam ire properatis, rege deserto, cum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luissem, nempe in Asiatica prædi nec pudet profundo ventre devictarum gentium spolia circumferentes reverti velle ad liberos conjugesque, quibus pauci præmia victoriæ potestis ostendere. Nam Cæterorum, dum etiam spei vestræ obviam istis, arma quoque pignori sunt. Bonis vero militibus carituros sum, pellicum suarum concubinis, quibus hoc solum extantis opibus supereſt, quod impenditur. Proinde fugientibus me pareant limites, facessite hinc oeyus. Ego cum Persis adeuntium terga tutabor. Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratissimi cives. Læti vos excipient parentes liberique, sine vestro rege redeuntes? obviam ibunt desertoribus transfugisque? Triumphabo mehercule de fuga vestra, & ubicunque ero, expetam pœnas, hos, cum quibus me relinquitis, colendo,

Præferendoque vobis. Jam aurem ſcietis, & quantum ſine rege valeat exercitus, & quid opis in me uno ſit.

ORATIO
ALEXANDRI, ad Peregrinos milites. Ex eod. lib.

ARGUMENTUM.

Alexander ſtomacho & indignatione ardens, quod ſuperior oratio dosuit, repudiatis Macedonibus, peregrinos milites ſibi aſcivit ad honores iis mandandos. Eos ut beneficentia ſibi adjunxerat, ſic liberali hac oratione magis ac magis conciliat. Perſarum laudat in reges ſuos obſequium & obedientiam. Neque eam tum primum compertam ſibi eſſe dicit, ſed teſtimonium ſe ſui iudicii dare. Decreviſſe autem res maximas eis credere. Ad laudationem addjicit liberalitatis erga eos ſuæ commemorationem, quam ſi t novorum beneficiorum & honorum ſplendidorum acceſſione cumulaturus.

QUUM ex Europa trajicerem in Aſiam multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio meo me additurum eſſe ſperabam. Nec deceptus ſum, quod de his credidi famæ. Sed ad illa hoc quoq; ac ceſſit, quod video fortes viros erga reges ſuos pietatis invictæ. Luxu omnia fluere crediderам & nimia felicitate mergi in voluptates. At hercule munia militiæ hoc animorum corporumque robore impigre toleratis: & cum fortes viri ſitis, non fortitudinem magis quam fidem colitis. Hoc ego non nunc primum profiteor, ſed olim ſcio. Itaque & delectum è vobis juniorum habui, & vos meorum militum corpori immiſcui. Idem habitus, eadem arma ſunt vobis. obſequium vero & patientia imperii longè præſtantior eſt quam cæteris. Ergo ipſe Oxiartis Perſæ filiam mecum in matrimonio junxi, non dedignatur ex captiva liberos tollere. Mox deinde cum ſtirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi: proximiſq; amicorum autor fui, ex captivis generandi liberos, ut hoc ſacro fœdere omne diſcrimen victi & victoris

victoris excluderem. Proinde genitos esse vos mihi, non ascitos milites credite. Asiæ & Europæ unum atq; idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem, & cives mei estis, & milites. Omnia eundē ducunt colorem, Nec Persis Macedonum mores adumbrare, nec Macedonibus Persarum imitari indecorum est. Ejusdem juris esse debent, qui sub eodem rege victuri sunt.

ORATIO PERDICCÆ IN CONCIONE MILITVM.

Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Mortuo Alexandro primum discordia inter principes est coorta: post gravissimi motus efferbuerunt. Cum enim de successore regni creando convenissent, diu variatu est sententia, cum idoneus nemo, & par tanto oneri inveniretur, ad quem gubernacula amplissimi imperii deferent. Neque enim Alexander sobolem reliquerat: quanquam uterum gerebat Roxane uxor ejus quam ex Persis duxerat: sed incertam prolem expectare alienum videbatur. Manus negotiorum tumor impendebat, qui non erat nisi probato alicui committendus. ad sententiam igitur dicendam admissus Perdicca, censet primum ut justa & divini honores persolvantur Alexandro, deinde ut partus Roxanes expectetur qui ad trimestre sperabatur. Successionem illam posthumum futurum regi legitimum.

EGO quidem, *inquit*, annulum, quo ille regni atque imperii vires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis Cæterum quanquam nulla clades huic, qua affecti sumus, par ab iratis Diis excogitari potest, tamen magnitudinem rerum, quas egit intuentibus, credere licet, tantum virum Deos accommodasse rebus humanis: quarum sorte completa cito repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo supereſt, quam quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominiq; quamprimum justa solvamus, haud obli-

in

in qua urbe, inter quos simus, quali rege ac præside spoliati. Tractandum est, commilitones, cogitandumq; ut victoriâ partam, inter hos de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. Hocne uno, an pluribus, in vestra potestate est? Illud scire debetis, militarem sine duce turbam, corpus esse sine spirtu. Sextus mensis est, ex quo Roxane prægnans est. Optamus ut marem enitatur. cujus regnum Diis approbantibus futurum, quandoque adoleverit. Interim à quibus regi velitis, destinate.

ORATIO PTOLOMÆI.

ARGVMENTVM.

Ptolomæus procerum unus, in eo consilio principum sententiâ hanc dixit, se ab aliis dissentire qui dixissent. Hoc vero optimum sibi factu videri, ut senatus instituatur ex principibus, quorum decretis administretur imperium.

DIGNA prorsus est soboles, *inquit*, quæ Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barsines filius, cujus nomen quoque in Europa dicere pigebit, majore ex parte captivi. Cur Persas vicerimus, ut stirpi eorum serviamus? quod justi illi reges Darius & Xerxes tot millium agminibus tantisque classibus nequicquam petiverunt. Mea sententia hæc est, ut sede Alexandri in regia posita, qui consiliis ejus adhibebantur, coeant, quoties in commune consulto opus fuerit, eoque quod major pars eorum decreverit, stetur. Duces præfectique copiarum his pareant.

ORATIO MELEAGRI.

ARGUMENTUM.

In eodem principum concessu Meleager, seditiosus homo, turbulentam & invidiæ in Perdiccam plenam sententiam dixit. Invidebat enim homo levis Perdiccæ dignitati, quam Aristonus quidam in eodem consilio evexerat, quum Perdiccæ principatum decreverat. Hic igitur illam Aristoni sententiam labefactat

factat & multitudinem ad vim vocat. Denique popularem se præbet, ne quisquam principum dignitate antecellat.

NEC Dii siverint, *inquit*, ut Alexandri fortuna, tantiq; regni fastigium in istos humeros ruat: homines certe non ferent. Nihil dico de nobilioribus quàm hic est, sed de vitis tantum, quibus invitis nihil perpeti necesse est. Nec vero interest, Roxanes filium, quandocunque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis: cum iste sub tutelæ specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est. Et in tanta omnium festinatione non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, & iam divinat marem esse conceptum, quem vos dubitatis paratum esse vel subdere. si medius fidius Alexander hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex his, quæ imperasset, non faciendum esse censerem. Quin igitur ad diripiendos thesauros discurritis? harum enim opum regiarum utique populus est hæres.

FINIS.

INDEX.

Omnium orationum, eo ordine digestus, quo ex hic excusæ sunt. Numerus paginam indicat.

Ex Salustii bello Catilinario.

ORatio Catilinæ, *qua sui de conjuratione consilii participes cohortatur.* 9
Oratio alia ejusdem Catilinæ, *qua suos milites adhortatur* 10
Orat. *Legatorum C. Manlii ad Q. Martium regem.* 12
Oratio *C. Cæsaris suam sententiam senatui exponentis de conjurationis Catilinæ sociis qui in custodis tenebantur.* 13
Orat. *M. Porcii Catonis proxime præcedenti orationi C. Cæsaris respondens.* 17

Ex

Ex bello Jugurthino.

Oratio Micipſæ regis ad Iugurtham, quâ eum officii ſui admonet, finem vitæ ſibi adeſſe intelligens. 21
Oratio Adherbalis ad ſenatum Rom. qua ſe à Iugurtha regno fortuniſq; omnibus expulſum queritur. 22
Oratio C. Memmi ad Quirites, qua eos ad vindicandum in Iugurtham, qui Adherbalem necaverat, & in ſocios eius ſceleris, hortatur. 26
Orati Marii ad Quirites, de ſe & de ea quam parabat in Africam, expeditione. 29
Oratio Syllæ ad Bocchum regem. 34
Oratio Bocchi ad Syllam, qua ſuum erga illum ſtudium exponit, & ſe bellum pop. Rom. facere voluiſſe negat, 35

Ex libris Hiſt. Saluſt.

Oratio Lepidi Conſ. ad pop. Rom. ibid.
Oratio C. Cottæ conſulis ad pop. 39

Orationes ex Livio collectæ.

Ex libro primo ab urbe condita.

PRecatio Romuli ad Iovem Statorem, ut Romanis adverſus Sabinos ferat opem. 41
Verba Proculi Iulii ad pop. Rom. conſolationis plena. 42
Oratio Metii Suffetii ad Tullum Hoſtilium regem Rom. de pace componenda inter Romanos & Albanos. ibid.
Oratio P. Horatii ad pop. pro filio perduellionis reo. 43
Oratio Tulli Rom. regis de proditione Metii Suffetii Albanorum ducis, ad milites. 44
Verba ſeu exhortatio Tanaquil ad Servium generum, de regno. 46
Exhortatio Tulliæ ad L. Tarquinium maritum ſuum, de regni affectatione. ibid.
Lucretiæ querelæ ac lamentatio ad virum, patrem, et amicos, de violatione. 47.

Ex

Ex ſecundo libro ab urbe condita.

Oratio P. Valer. Publicolæ ad populum de crimine ſibi obiecto. 48
Oratio Mutii Scævolæ ad Porſenam Cluſinum regem. 49
Oratio Martii Coriol. ad patres contra plebem et trib. 50
Oratio Actii Tullii Volſcorum principis ad Conſules, ut ludis non adeſſent Volſci. ibid.
Oratio Actii Tullii ad ſuos qua eos in Rom. concitat. 51.

Ex tertio libro ab urbe condita.

Oratio Q. Fabii ad tribunos pleb. alios omnes præter Terentillum. 52
Orati Auli Virg. trib. pleb. ad plebem de Cæſonis arrogantia. 53
Oratio P. Valer. Publicolæ conſulis ad tribunos omnemque plebem. 54
Oratio L. Quintii Cincinnati ad populum adverſus A. Virginium. 55
Oratio L. Quintii Cincinnati ejuſdem adverſus patrum licentiam. 56
Oratio Icilii adverſus Appii decretum, ut ſponſa extra domum paternam maneret. 57
Oratio Virg. patris adverſus Appium. 58
Oratio Virg. ad milites, qua honorem ſibi delatum recuſavit. 59
Oratio Seniorum patrum ad patres & decemviros de decemviratus abdicatione, & tribunatus pleb. inſtauratione. ibid.
Oratio Legatorum Valer. & Horat. ad poſtulata pleb. in Sacro monte. 60
Oratio App. cum magiſtratu ſe abdicare vellet. 60
Oratio Legat. ad plebem, ut in urbem rediret. 62
Oratio A. Virg. adverſus Appium reum. ibid.
Oratio Duill. tribuni pleb. quum poteſtati tribunitiæ modum feciſſet. 63

Oratio Valer. Consulis, qua equites ad fortiter pugnandum hortatur. ibid.
Oratio Horat. Consulis qua suos cohortatur. 64
Oratio T. Q. Capitolini quartum consulis ad pop. Rom. ibid.

Ex quarto libro ab urbe condita.

Oratio C. Canuel, tribuni pleb. ad plebem pro rogationibus promulgatis. 68
Orat. Veltii Mess. Volscor. regis qua suos adhortatur. 72
Oratio Mamerci Æmil. dictatoris, qua suos inusitato certamine exterritos adhortatur. 73
Orat. Sexti Tempanii decurionis qua milites in re complorata adhortatur. 74
Orat. L. Dec. tribuni pleb. ad populum adversus Posthumium tribunum militum. ibid.

Ex quinto libro ab urbe condita.

Orat. Appii Claud. tribun. militum ad populum contra tribunos pleb. pro bello continuendo. 75
Orat. P. Licin. Calvi ad populum, ut filio, sibi delatum honorem mandaret. 81
Orat. Camilli ad Pædagogum Falisscorum in castris deprehensum cum pueris 82
Oratio Legator. Falisco. Romanis dedentium in senatu. ibid.
Oratio Camill. exulis, qua Ardeates, ut arma capiant adversus Gallos adhortatur. 83
Oratio M. Fur. Camilli ad populum de non transmigrandos Vejos. 84

Ex sexto libro ab urbe condita.

Oratio M. Furii Camilli Dictatoris, qua suos perterritos hostium numero adhortatur. 90
Orat. A. Cornel. Cossi dictatoris ad suos. 91
Orat. Cornel. Cossi dictatoris in M. Manlium. 92
Oratio M. Manlii Capitolini, qua dictatori & patribus respondet. 93

Oratio

Oratio M. Manlii Capitol. post vincula ad plebem adversus patres concitandam ibid.
Oratio Camilli ad senatores Tusculanorum de mittendis Romam de pace legatis, 95
Oratio Legat. Tusculan. in senatu, qua se purgant. 96
Oratio Q. Cincinn dictatoris ad A. Sempron. magistrum equitum de belli ratione. 97
Oratio Camilli dictatoris ad Quirites de interceſſ. ibid.
Oratio App Claudii contra tribunos pleb. legumlatores, & leges ipsas. 99

Ex septimo libro ab urbe condita.

Oratio Servii Tull. ad dictatorem. ut militibus pugnandi faceret potestatem. 103
Oratio M. Pop. consulis, qua suos milites adhortatur. 104
Oratio Legator. Campanor. in senatu, qua auxilium adversus Samnites petunt. 105
Oratio Roman. qua præcedenti Campanorum Legat. orationi respondent. 108
Oratio Legat. Campanorum, qua præcedenti Romanorum oratioui respondent. ibid.
Oratio M. Valer. Corvini qua suos adhortatur. ibid.
Oratio exhortatoria P. Decii trib. militum ad A Cornelium consulem, quum spes elabendi non videretur. 109
Oratio ejusdem P. Decii qua suos ad erumpendum ex colle occupato adhortatur. 110
Oratio M. Valer. Corvini dictat. ad conjuratores & seditiosos milit. qua dehortatur à pugna contra patriam. 112
Oratio T. Quintii ducis seditiosorum qua eos ad concordiam exhortatur. 114

Ex octavo libro ab urbe condita.

Oratio Ann. Setini prætoris Latinorum, ad suos. 114
Oratio Ann. ejusdem ad P. C. Roman. ut alter consul ex Latinis fieret. 116

Oratio

Oratio T. Manlii Consulis ad legatos Latinor. 117
Oratio T. Manl. Consulis ad T. Manlium filium, qua eum accusat quòd in hostem ipsius injussu pugnavisset. ibid.
Oratio Furii Camill. Cons. ad patres de Lat. referentis. 118
Oratio L. Papyr. dictatoris, qua Fab. Maximum accusat quod adversus edictum pugnasset. 119
Orat. M. Fab. Max. pro filio ad populum provocantis à dictatore. 120
Oratio Papyr. dictat. ad populum de absolutione Q. Fab. magistri equitum. 121.

Ex libro nono ab urbe condita.

Oratio Claud. Pontii Samnitu imperat. postquam legatione nihil factum esse vidit. 122
Oratio L. Lentuli princ. Legator. Rom. ad exercitum & consules. qua suam de deditione sententiam exponit. 123
Oratio Sp. Posthum. Consulis, qui sub jugum missus erat, in senatu de pace ad Caudium facta. 284
Oratio ejusdem Sp. Posthum. contra tribunos pleb. qui deditionem impediebant. 126
Oratio Corn. Arvinæ Fecialis ad Samnites in deditione sponsorum pacis. 128
Oratio Cl. Pontii Samnit. regis qua feciali respondet. 129
Oratio Q. Fab. dictator. qua suos ad eruptionem hortatur, 130
Oratio C. Menenii dictatoris, quando in eum ambitus crimen factum est à nobilibus. 131
Oratio P. Sempron. tribun. pleb. adversus Ap. Claudium, qui se intra legitimum tempus censura abdicare nolebat. 132.

Ex decimo libro ab urbe condita.

Orati P. Decii Muris consulis ad populum, qua suadet ut ex plebe augures & pontifices fiant, 135.

Verba

Verba Q. Fab. Max. consulis designati ad populum. 137
Verba Virginiæ in dedicat. aræ Pudicitiæ pleb. 138.

Ex vicesimo primo libro ab urbe condita.

Oratio Pannonis ad Carthag. contra Annibalem de fœdere rupto. 38
Oratio Alocri Hispan. ad Saguntinos, qua pacis conditiones quas Annibal ferebat, exponit. 140
Oratio ejusdem Carthag. qua legatis Roman. de consilio oppugnationis Sagunti respondet. 142
Oratio Volscianorũ qua legatis Rom. respondent. 143
Oratio Annibalis ad Hispanos milites. ibid.
Oratio P. Scipionis suos adhortantis. 144
Oratio Annib. suos adhortantis. 147.

Ex vicesimo secundo libro ab urbe condita.

Oratio M. Minut. Ruffi magistri equitum, qua in Q. Fab. Max. dictat. cunctationem acriter invehitur. 150
Aceducis Hispan. ad Bostarem pro obsidibus verba. 152
Fab. Dictat. de temeritate Minut. verba, ibid.
Oratio Minut. magistri equitum, qua suos ad conjungenda cum Fab. castra adhortatur. 153
Minut. verba ad Fab. dictatorem. 154
Oratio Fab. Max. ad Æmilium de Varrone, & ratione pugnandi cum hoste. ibid.
Orat. P. Sempron. Tuditani trib. militum, qua suos ad erumpendum adhortatur. 157
Orat. Captivorum Canensi clade Rom. ad patres. 158
Orat. T. Manl. Torquatis ne captivi redimerentur. 160.

Ex vicesimo tertio libro ab urbe condita.

Orat. Pacuvii Calav. Campani ad populum Campan. 163
Oratio Varr. consulis, qua legatis Campan. respondet. 164
Orat. Perollæ ad Pacuvium Calav. patrem de interficiendo Annibale 166

Oratio

Oratio Pacuvii Calav. filium à facinore dehortantis 167
Orat. Perollæ qua Pacuvio patri respondet. ibid.
Verba Magii Dec. ad circumfusam multitudinem. 168
Oratio Himilc. Barchinæ factionis viri adversus Hannon. 169
Orat. Hannon. Himilconi respondentis ibid.
Orat. Samnitum Legat. ad Annibalem qua petunt ut opem adversus Romanos ferat. 171

Ex vicesimo quarto libro ab urbe condita.

Oratio Fab. Max ad populum de deligendo imperat. 172
Orat. T. Gracchi ad milites. 175
Orat. L. Pinar. Præfecti præsid. Rom. Ennex qua suos exhortatur. ibid.

Ex vicessimo quinto libro ab urbe condita.

Orat. relegator. militum ad M. Marcellum de mutatione condit. 177
Orat. Syracusan. ad Marcellum de dedit. 180
Orat. L. Mart. qua suos milites exhortatur. 181

Ex vicesimo sexto libro ab urbe condita.

Orat. Vib. Vini Campani ad Campanos, qua ut se dedant Roman. dissuadet. 113
Orat. M. Marcelli ad P. C. se adversus Syracus. oratores defendentis. 181
Orat. P. Scipion. ad veteres milites. 187
Orat. P. Scipion. ad milites. 190
Orat. P. Scipion. ad Lucejum Celtiberor. principem, cum ei sponsam reddidit. 191

Ex vicesimo septimo libro ab urbe condita.

Oratio M. Marcelli ad suos. 192
Oratio Annibal. ad suos. 893

Ex vicesimo octavo libro ab urbe condita.

Oratio P. Scipion. ad milites. ibid.

Oratio

Oratio Sagunt, ad P. C. in senatu. 198
Oratio Q. Fab. Max. qua Scipioni Africam provinciam decerni dissuadet. 200
Oratio P. Cornel. Scipionis, orationi praecedenti Q. Fab. respondens. 206

Ex trigesimo libro ab urbe condita.
Oratio Sophonisbæ uxoris Syphacis ad Masinissam 210.
Oratio P. Scipion. ad Masinissam. 211
Oartio Annib. ad Scipion. de pace. 212
Oratio Scipion. ad Annibalem 215
Oratio Annibal. ad Carthag. qui reprehendebant quod risisset in communi fletu. 216

Ex triceſſimo ſecundo libro ab urbe condita.
Oratio Aristh. praetoris Achæorum qua eos objurgat. 217

Ex triceſimo quarto libro ab urbe condita.
Oratio M. Catonis consulis pro lege Oppia contra mulierum luxuriam. 218
Oratio L. Valer. trib. pleb. pro mulieribus contra legem Oppiam. 223
Oratio M. Porc. Catonis consulis ad suos. 227
Oratio T. Quint. in conventu Græciæ 228
Oratio Aristh. Praetoris Achæor. de Ætolis & Nab. 229
Oratio Nabid. tyranni Lacedæmon. ad T. Quintium 230
Oratio T. Quint. qua Nabidi respondet, 232
Oratio T. Quint. qua suos ad obsidionem Lacedæmonis adhortatur. 234

Ex triceſimo quinto libro ab urbe condita.
Oratio Mimon. ad Legatos Romanorum. 235
Oratio Sulpit. Legati Roman. qua ad praecenentem respondet. 236
Oratio Annibal ad Antiochum qua se purgat. ibid.

Ex

Ex triceſimo ſexto libro ab urbe condita.

Oratio Annibal. in Conc lio Antiochi de totius belli ratione & Macedon. ſententia. 237
Oratio Attil. Conſulis ad ſuos 240
Oratio T. Quint. ad Achæos de Zacyntho. 242
Oratio Quint, ad M. Acilium conſule m pro Ætolis. ibid.
Oratio T. Quint. ad Ætolor. principes de reconcil. 243

Ex triceſimo ſeptimo libro ab urbe condita.

Oratio Eumen in concilio. 244
Oratio Scipion. qua legatis Antioch. reſpondet. 245
Oratio Zeuſis legat. Antiochi ad Rom. de pace. 246
Oratio Scipion. ad ea reſpond. ibid.

Ex triceſimo octavo libro ab urbe condita.

Oratio P. Scipion. African. rei, ad Quirites. 247

Ex triceſſimo nono libro ab urbe condita.

Oratio M. Porcii Canton. conſulis, ad populum, in fœdum Bachan. ritum. 248
Oratio Philipp. Maced. ad legatos Rom. 252
Oratio Lycortæ prætor. Achæorum, qua legatis Roman. reſpondet. 254

Ex quadrageſimo libro ab urbe condita.

Oratio Phil. Macedonis de ſua liberorumque infelici conditione. 257
Oratio Perſei accuſator. in Demetrium fratrem parricid. reum, 260
Oratio Demetr. parricid. rei. 263
Oratio T. Sempron. prætoris ad L. Minutium legat 269.
Oratio Q. Cæcil. Metelli ad M. Lepidum & M. Fulv. cenſores declaratos, de reconcil. 270
Oratio Phil. regis Maced. ad Antigonum de regni hæred. 271

Orationes

INDEX.

Orationes ex Corn. Tacito collectæ:

Ex lib. I. Annal.

Vibulemi orat 273
Clementis Centurionis orat. 274
German. Cæsaris orat. ibid.
Segestis orat. 276

Ex lib. II. Annal.

M. Hortali orat. 277
Tib. Cæsaris responsio. 278
Germanici orat. 279

Ex lib. III. Annal.

Tiber. oratio in senatu. 280
Oratio Sever. Cæcinæ, qua uxores à provinciis arceri debere statuit 281
Oratio Valer. Messalini, qua Cæcinæ respondet. 282
M. Lepid. oratio in senatu. 283

Ex lib. IV. Annal.

Tiber. ad senatum orat. 284
Cremutii defensio in senatu ibid.
Tiber. oratio in senatu. 286
Oratio Tiberii. 287

Ex lib. VI. Annal.

M. Terent. Equitis Rom. orat. 289

Ex lib. XI. Annal.

Neron. Cæsaris oratio in senatu 290

Ex lib. XIV. Annal.

C. Cassii. orat. 292
Senecæ oratio ad Cæsarem Neronem. 294
Neronis ad Senec. responsio. 296

Ex lib. XV. Annal.

Pæti Cossutiani ad Neronem Cæsar. orat. 298

Ex lib. I. Hist.

Galbæ imperat. oratio ad Pisonem 299
Pisonis orat. 302
Othonis oratio ad milites. 303
Othonis oratio ad milites. 395

Ex lib. II. Hist.

Othonis orat. 307
Mutiani orat 308

Ex lib. IV. Hist.

Curtii Montani orat. 311
Legati Tenctorum orat. 312
Agrippinensium oratio. 313
Cerialis orat. 314

Ex lib. V. Hist.

Civilis oratio sed mutilata. 316

Ex

Ex vita Agricolæ à Corn. Tacit. prodita.
Galgaci orat. 317
Agricolæ orat. 319
Orationes ex Q. Curtio Collectæ.
Ex lib. III.
Charidemi orat. 321
Ex lib. IV.
Legatorum Darii oratio ad Alexandrum. 322
Parmenion. oratio ad Alexandrum. 323
Alexandri oratio ad legatos Darii. 324
Darii oratio ad milites. 32[illegible]
Ex lib. V.
Euſtemonis Cynæi orat. 327
Theati Athenienſis orat. 329
Darii orat. ibid.
Nabarzanis orat. 331
Ex lib. VI.
Alexandri orat. 332
Crateri orat. 335
Alexandri orat. 337
Philotæ orat. 339
Amyntæ orat. 344
Cobaris orat. 347
Alexandri orat. 348
Scythæ legati orat. 350
Alexandri orat. ad trecentos milites. 352
Ex lib VIII.
Caliſthenis orat 353
Hermolai orat. 254
Alexandri orat. 356
Ex lib. IX.
Alexandri ad milites orat. 363
Cœni orat. ad Alexandrum 36[illegible]
Crateri ad Alexandrum orat. 364
Alexandri ad amicos orat. 365
Ex lib. X.
Alexandri ad milites orat. 368
Alexndri ad peregrinos milites orat. 370
Perdiccæ in concione militum orat. 371
Ptolomæi orat. 372
Meleagri orat. ibid

FINIS.